DE CRASI ARISTOPHANEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

Dr. HERMANNUS WAESCHKE
ANHALTINUS

DESSAVIAE
APUD AEMILIUM BARTHIUM
A. MDCCCLXXV.

Pars I. De crasi eiusque origine cett.
a) de crasis nomine et generibus.

Godofredus Hermannus in epitoma doctrinae metricae[1], quam edidit anno 1818, usque ad illud tempus nondum extitisse dicit quemquam, qui de crasi satis plene atque accurate exposuerit. Ex eo tempore cum praeterierint sexaginta fere anni rem absolutam putares, sed, etiamsi multi huic rei operam dederunt, nihilo minus nunc etiam fluctuatur inter antiquorum scriptorum editores. Quam rem excusationi esse posse puto, quod post tot virorum curas denuo rem tractare coepi, qua in tractatione ita sum versatus, ut virorum illorum studia diligenter pervestigarem eisque, si quid ipse inveneram, adderem. Inde si apparebit, quid tandem his de rebus statuendum sit quidque certi habeamus, satis erit laudis oleumque non perdidero. Neque quemquam crimini mihi hoc daturum puto, quod de Aristophanea tantum crasi dicere susceperim, nam apud unum illum Aristophanem cuiusvis generis crases inveniri et propterea si quis postea his rebus operam daturus sit, facile eum exempla e reliquis auctoribus collecta his nostris ordinibus inserere posse confido. Ceterum non omittendum esse puto me in describendis crasibus Dindorfii editione fabularum Aristophanearum esse usum quae prodiit Lipsiae a. 1869.

Haec sunt, quae praemittenda putabam, nunc iam ad ipsam rem tractandam veniamus et primum definiamus quid sid crasis, nam hanc definitionem etiamsi de crasi Aristophanea tantum agam, a me omitti posse non videtur, cum de nonnullis rebus adhuc dubitetur quas disputando hic complectar. Hac in crasis definitione ab antiquorum grammaticorum praeceptis incipiam itaque rem instituam, ut non, quos quidem invenerim, omnes locos afferam, sed eum, quo copiosissime his de rebus agitur, alios vero, cum singula tantum praebeant praecepta, inseram quo pertinere videntur. Ac locus ille extat in Anecdot. Bekk. p. 697. *ἐπεὶ δὲ ἐκθλίψεως ἐμνήσθημεν, δεῖ γιγνώσκειν ὅτι ἡ μὲν συναλοιφὴ γένος ἐστίν, ἔχει δ' (εἴδη) ἑπτά, τρία μὲν ἁπλᾶ, τέσσαρα δὲ σύνθετα. καὶ τὰ μὲν ἁπλᾶ εἰσι ταῦτα· ἔκθλιψις, κρᾶσις, συναίρεσις. καὶ ἔκθλιψις μέν ἐστιν ἡνίκα εὑρέθη λέξις εἰς φωνῆεν ἢ φωνήεντα καταλήγουσα τῆς ἐπιφερομένης ἀπὸ φωνήεντος ἢ ἀπὸ φωνηέντων ἀρχομένης. τότε γὰρ διὰ τὸ χασμῶδες καὶ κεχηνῶδες ἐκθλίβεται τὸ τέλος τῆς προηγουμένης λέξεως, καὶ ἡνίκα [μὲν] ὦσιν ἐν παραθέσει, δέχονται ἀπόστροφον, οἷον κατὰ ἐμοῦ — κατ' ἐμοῦ, ἡνίκα δὲ ὦσιν ἐν συνθέσει οὐ δέχονται ἀπόστροφον, οἷον κατὰ ἔγραφον — κατέγραφον, κατὰ ἔζην — κατέζην· ταῦτα μὲν περὶ τῆς ἐκθλίψεως. διαφέρει δὲ συναίρεσις κράσεως κατὰ τούτους τοὺς τρόπους· ἡ συναίρεσις περὶ τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ*

καταγίγνεται προηγουμένου προτακτικοῦ φωνήεντος, οἷον πάϊς — παῖς, ἀΰω — αὔω, Δημοσθένεϊ — Δημοσθένει. διαστέλλεται δὲ τὸ συνῃρημένον ἀπὸ τοῦ ἐντελοῦς ἐκ τοῦ μὴ περιστίζεσθαι τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ ἐν τῇ συναιρέσει. δεῖ δὲ γιγνώσκειν, ὅτι τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ δεῖ περιστίζειν, ἡνίκα προηγεῖται προτακτικὸν φωνῆεν, κατὰ διάστασιν. ἐπεὶ ὅταν προηγῆται ὑποτακτικὸν φωνῆεν οὐ δεῖ περιστίζειν αὐτά, οἷον ἰαχή, ἰωή. ἡ δὲ κρᾶσις περὶ πάντα τὰ φωνήεντα καταγίγνεται, οἷον Δημοσθένεος — Δημοσθένους, ἱέραξ — ἵραξ, τὸ ἐμὸν — τοὐμόν. καὶ ἡνίκα μὲν γίνηται κρᾶσις ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων τίθεται κορωνίς [1]), οἷον νόος — νοῦς, ἄλλως τε δὲ ἡ συναίρεσις φυλακτική ἐστιν τῶν αὐτῶν φωνηέντων, οἷον πάϊς — παῖς, ἡ δὲ κρᾶσις πάντως ἀλλοίωσιν ἐπεργάζεται, οἷον Δημοσθένεος — Δημοσθένους. ταῦτα μέν εἰσι τὰ ἁπλᾶ εἴδη τῆς συναλοιφῆς.

Τὰ δὲ σύνθετα ταῦτα. ἔκθλιψις καὶ κρᾶσις, ἔκθλιψις καὶ συναίρεσις, κρᾶσις καὶ συναίρεσις, ἔκθλιψις καὶ κρᾶσις καὶ συναίρεσις, καὶ ἔκθλιψις μὲν καὶ κρᾶσίς ἐστιν ὡς ἐπὶ τοῦ καὶ ἐγὼ — κἀγώ. ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τοῦ καὶ συνδέσμου καὶ κιρνᾶται τὸ ᾱ καὶ ε̄ εἰς ᾱ μακρόν. ἔκθλιψις δὲ καὶ συναίρεσις ὡς τὸ ἐμοὶ ὑποδύνει — ἐμοὐποδύνει. ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τῆς ἐμοὶ ἀντωνυμίας, συναιρεῖται δὲ τὸ ο̄ καὶ ῡ εἰς τὴν ο̄ῡ δίφθογγον. κρᾶσις δὲ καὶ συναίρεσις ὡς ἐπὶ τοῦ ὁ αἰπόλος — ᾡπόλος. κιρνᾶται γὰρ τὸ ο̄ καὶ ᾱ εἰς ω̄, καὶ συναιρεῖται τὸ ω̄ καὶ τὸ ῑ εἰς τὴν ᾠ δίφθογγον. ἔκθλιψις δὲ καὶ κρᾶσις καὶ συναίρεσις ὡς ἐπὶ τοῦ οἱ αἰπόλοι — ᾡπόλοι [2]). ἐκθλίβεται γὰρ τὸ ῑ τοῦ οἱ ἄρθρου καὶ κιρνᾶται τὸ ο̄ καὶ ᾱ εἰς ω̄ καὶ συναιρεῖται τὸ ω̄ καὶ ῑ εἰς ᾠ δίφθογγον.

Hoc paullum a nostro loquendi usu et ab ea, quae a nostris grammaticis editur, doctrina abhorrere facile apparet. Nam ille, qui haec praecepit, unum omnium esse genus: synaloepham, quam vocalium concursum mutationesque propter hunc concursum factas interpretatus esse videtur, statuit. Eius vero synaloephae duas esse formas: simplicem et compositam; simplicis tria esse genera: ecthlipsin, synaeresin, crasin; compositae quattuor: ecthlipsin et crasin, ecthlipsin et synaeresin, crasin et synaeresin, ecthlipsin et crasin et synaeresin; quod si describimus litteris exemplisque additis, haec erit eius doctrina:

A) Simplicia genera:
- a) ecthlipsis: *κατ' ἐμοῦ, κατέγραφον*
- b) synaeresis [3]): *παῖς, Δημοσθένει*
- c) crasis: *Δημοσθένους, τοὐμόν*

B) Composita genera:
- d) compositum ex ac: *κἀγώ*
- e) comp. ex ab: *ἐμοὐποδύνει*
- f) comp. ex cb: *ᾡπόλος*
- g) comp. ex abc: *ᾡπόλοι*.

In mentem si tibi revocaveris quomodo nunc crasim definiamus, quam illic statuimus esse, ubi vocalis verbum finiens cum alia vocali in vocis proxime sequentis initio ita coalescit, ut vocalis longa vel diphthongus prodeat: certe nos, quod iam dixi, multo ab illo grammatici praecepto deflexisse invenies. Nam primum angustis finibus circumscripsit crasim ipsam, quam ibi tantum esse contendit, ubi vocalis alteram excipit et cum ea coalescit, ut prorsus alia evadat vocalis longa vel diphthongus. Deinde

---

[1]) Ex exemplis allatis apparet intercidisse aliquid inter has voces, quam lacunam ita explendam esse puto: *οἷον τὸ ἐμὸν - τοὐμόν, ἀλλ' οὐ τίθεται κορωνίς, ἡνίκα γίνεται κρᾶσις ἐν τῇ αὐτῇ λέξει, οἷον* . . . ., quo in textus supplemento corruptelae etiam causa latet, nam facile fieri poterat, ut ex altero illo *οἷον* ad alterum aberraret scriba.

[2]) Etym. M. p. 822, 53.

[3]) Crasin eam vocat Choerob. 232, 9. Etym. Magn. 507, 52. Ceterum respicias, quae de veterum grammaticorum his in rebus inconstantia attulit Ellendt. lexic. Sophocl. ed. II. p. 486, b. [ed. I. part. II. p. 206.].

mirum est et abhorrens a nostro loquendi usu, quod crasim etiam in una tantum [1]) voce fieri putat, ubi vocalis vocalem excipit. Post, quod minimo fere discrimine discernit a crasi synaeresim, quam tum tantum esse dicit, cum vocalis, quam excipit ῑ vel ῡ cum illo ῑ vel ῡ ita coalescit, ut evadat diphthongus, in qua utraque vocalis cernitur. Denique, quod a crasi secernit composita illa genera, quae nos item crases esse putamus.

Sed non propria eius grammatici fuit sententia allata, verum omnium antiquorum grammaticorum fuisse videtur. Nam multa sunt aliorum grammaticorum praecepta, quae ad eandem pertinent doctrinam [2]), cuius nisi auctor at certe particeps fuit Herodianus clarissimus ille grammaticus. Nam idem etiam multis locis synaloephae nomine ecthlipsim et crasim comprehendit [3]). Haec vero ipsa res, quod antiqui illi tria genera synaloephae esse statuerunt idque a nonnullis non recte observatum est, errorum causa extitit. Qualem errorem deprehendisse sibi videtur Ahrensius in libro, quem de crasi et aphaeresi scripsit, p. 3. adn. Ergo synaloephae nomine et elisio et crasis et synaeresis ab antiquis grammaticis coniunguntur. Recentes contra grammatici elisionem esse docent, ubi vocalis brevis (vel diphthongus) in vocis exitu ante vocem a vocali incipientem tollitur (quod apostropho indicatur), crasim vero ubi vox in vocalem exiens cum voce a vocali incipienti ita coniungitur, ut voces coniunctae pro una habeantur, vocales in unam coalescant cui crasis signum, coronis (᾽), adscribitur; synaeresis voce multo aliam rem, vocalium in mediis vocibus contractionem significari voluerunt. Quam definitionem ut promptam nobis notamque servandam nec cum altera illa commutandam duxi.

Ex ea iam, quam modo dedimus, crasis definitione apparet quattuor omnino esse genera vocalium crasi coniunctarum: primum ubi prior vox in brevem exit, posterior a brevi incipit, secundum ubi prior in brevem exit, posterior a longa (vel diphthongo) incipit, tertium ubi prior vox in longam (vel diphthongum) exit, posterior a brevi incipit, quartum denique ubi prior vox in longam (vel diphthongum) exit, posterior a longa (vel diphthongo) incipit. Haec genera nunc copiosius disquirenda sunt, nam ex illis, quae iam antea de elisione dixi, apparet: non omnes voces, quae exeunt in vocalem, si sequitur vocalis, necessario crasi cum illa coniungi; accedunt etiam nonnulla, quae totam hanc quaestionem reddunt difficilem.

Cum tot sint genera modique, quibus hiatus inter duas voces dimoveri possit: elisio, aphaeresis, crasis, distinguendum est singulis locis et videndum quo potius genere utamur scribentes. Hoc distinguendi studio motus cum differentiam quandam statuissem verborum, quae crasi coniungi possent quaeque non possent, res ipsa, quam statueram nonnullis locis, iudicibus non satis absoluta videbatur atque expolita. Quam ob causam differentiam illam quam invenisse mihi videbar nunc mitto et G. Curtii his de rebus sententiam huc referam a viro illo clarissimo familiariter mecum communicatam, qua omnino nullam differentiam intercedere censet inter eas voces, quae crasi coniungi possunt interque eas, quae non possunt, sed ita distinguendum esse, ut vitemus eam scribendi rationem, qua obscurari possit verborum coniunctorum et forma et significatio, vel ut, quae magis perspi-

---

[1]) Etym. Magn. 763, 9. alii.
[2]) Etym. M. 431, 11. 763, 9. 822, 53 cett.
[3]) Cfr. Lentz: Herodian. I. praef. p. LVIII. seq. schol. A., 465. α, 134. N, 377. 520.

cua sit, eam sequamur scribendi rationem. Hoc distinguendi adminiculo in perspicuitate sito utendum censeo donec melius inveniatur, nam non omni ex parte hoc sufficere sua sponte facile quisque intelleget, cum multi occurrant loci, quibus in contrarias partes abit sententia, de quibus singulis nunc iudicium est faciendum.

De illis locis, quibus vocalis brevis in vocis exitu excipitur vocali brevi vel longa in sequentis vocis initio, inter omnes constare videtur num crasis an elisio sit scribenda, sed omnibus fere illis locis, quibus vocalem longam in prioris vocis fine excipit vocalis brevis vel longa, vel diphthongus, dubitatur utrum crasis an aphaeresis sit scribenda, an synizesis statuenda.

Jam constare videtur cum crasi coniungantur duae voces in unam, has voces non coniungi posse, nisi, praeter collocationem, artissimo iam sententiarum nexu altera ad alteram pertineat. Hoc si tenemus, mirum esse omnino non potest, si praeter eam crasim, quae ita fit, ut vox minoris momenti ad sequentem se adclinet, etiam aliud crasium genus statuimus ubi se adclinat ad vocem praecedentem vox quaedam minoris momenti, quae fere semper vox enclitica esse solet. Illud crasium genus progressivum, hoc regressivum appellemus si placet. De progressivo satis constat: ex gr. ὁ ἀνήρ — ἀνήρ, τὸ ἄγαλμα — τἄγαλμα; de regressivo nunc pauca, quae in promptu habemus, dicenda esse videntur. Jam ex his, quae diximus, apparebit, hanc crasim semper fere inveniri ubi altera sit vox verbi substantivi εἶναι forma quaedam. Tales crases etiamsi a grammaticis non traduntur tamen esse statuendas et scribendas Latinorum scribendi ratio testari fortasse poterit, qui ratiost, curast talia scripsisse videntur. Sed etiamsi certum esse videtur tales crases esse statuendas, tamen quomodo scribendae sint dubium esse potest. Nam si de crasi omnino cogitamus etiam vocis secundae accentum retinebimus, quod Ahrensius fecit, qui l. c. p. 7. ὡρᾶστὶ scribendum esse censet. Sed cum, quod ipse paullo ante dixit, crasium illarum causa in ipso verbo ἐστὶν insit, hanc potius scribendi rationem introduxi: ὥράστιν, αὑτάστι, διοσημίάστιν δουλείάστιν, θεωρίάστιν, σκίάστι, εὐφημιᾶστω. Nam si res ita se habet, ut ἐστὶν alia artius cohaereant cum voce praecedenti et ad illam se adclinent, crasis regressiva est habenda et propterea accentus ratio quasi contraria esse videtur illi, quae de alterius crasium generis accentu statuitur, vel, ut ita rem verbis expediam: si scribitur τἀνδρὸς et ἀνδρὸς secunda vox propterea accentum retinet, quod haec ipsa vox maioris est momenti ad quam se adclinat prior vox: scribendum etiam est ὥράστι, nam his in crasibus prior vox maioris est momenti, ad quam se adclinat altera vox enclitica. His si utimur rationibus ut crasim et progressivam et regressivam statuamus esse, non difficile erit explicatu ubi crases sint scribendae, nam crasis progressiva erit, ubi prior vox arte cohaeret cum sequenti, regressiva ubi arte cohaeret cum praecedenti. Ergo si omnes illos locos, ubi de crasi dubitatur percurrimus diiudicare poterimus utra sit rectior, crasis an aphaeresis, quod nunc faciendum puto. Quo in iudicio eos tantum locos tractabimus, quibus vocem desinentem in longam vocalem vel diphthongum excipit vox a brevi vocali incipiens, nam illi tantum in dubio versantur.

Ergo ᾱ et ε ubi concurrunt eodem modo erit distinguendum et quod scriptum exhibet Dindorfius: διοσημία᾽ στὶ Ach. 171. ὥρα᾽ στὶν Ach. 393 cett. αὕτα᾽ στὶ Ach. 781. δουλεία᾽ στὶν Vesp. 682. θεωρία᾽ στὶν Pac. 873.

εὐφημία' στω Thesm. 295 cett. σκία' στὶ frgt. 564 non ita scribendum, sed quod iam dixi: διοσημίαστι, ὥραστιν, αὔταστι, δουλείαστιν, θεωρίαστιν, εὐφημίαστω, σκίαστι. Sed recte scribitur a Dindorfio: ἀγορὰ ' ν'Αθήναις Ach. 729. aphaeresi, nam ἐν ad vocem sequentem Ἀθήναις pertinet, minime vero ad ἀγορά, et λάθρα ' λάμβανε Vesp. 465. ἐσκίρτα ' πεπόρδει Vesp. 1305. Ἡρακλέα ' νεσκεύασα Ran. 523. Ἑρμᾶ' μπολαῖε Ach. 816. Nonnullis locis non ea, quae supra descripsi, in codicibus traduntur, sed διοσημί' ἐστὶν Ach. 171. quod correctum est ab Elmsleio, δουλεί' ἐστὶν correctum in δουλεία' στιν a Porsono, Ἑρμ' ἐμπολαῖε Ach. 816, quod correxit Scaliger; sed recte fecisse viros illos inde iam apparet, quod syllaba producta non eliditur, ergo lectiones illae διοσημί' ἐστιν quaeque sunt eiusmodi stare non poterant.

Ἡ et ᾰ vocales tum solum ex sententia nostra crasi coniungi possunt ubi voces ipsae arte cohaerent (ut articulus cum substantivo), qua de re recte apud Aristophanem scribi puto: ἀρχὴ [Ach. 528], Vesp. 76. ἅνθρωπος Lys. 936. ἀχαρνικὴ Thesm. 563. ἀλεκτρυών frgt. 86. pro eo, quod in codicibus legitur: ἀρχή, ἄνθρωπος, ἀχαρνική, ἀλεκτρυών, quod articulo opus est[1]). Sed quod nonnulli, inter quos Dindorfius, scriptum exhibent μἀλλὰ Ach. 458. Av. 109. Thesm. 288. 646. Ran. 103. 611. 745. 751. non recte se habere propter eandem puto rationem, nam μὴ non arte ad vocem illam referendum, sed collocatione tantum illuc venit, nec elisio vel aphaeresis esse potest, ergo nihil remanet nisi unum illud, ut vocem utramque plene scriptam exhibeamus et synizesi tantum inter loquendum coniungamus[2]): quae etiam codicum ratio esse videtur, nam fere ubique μὴ ἀλλὰ et μὴ ἄλλην scriptum tradunt, nisi quis ex illo loco Ran. 611., quo in codicibus μάλ' scribitur certi aliquid de crasi elici posse putat, cuius crasis interpres et defensor Ahrensius l. c. p. 13 extitit. Recte vero constitui videtur crasis μἄλλην Thesm. 476. cum coniunctio sit arta quaedam utriusque vocis.

Quodsi via constituta progredimur, etiam ubi η̄ et ε̄ concurrunt discernere poterimus, nam crasis scribenda videtur esse:

a) ubi articulus ἡ cum sequenti voce ab ε̄ incipienti concurrit, hoc enim ipsi codices testantur, nam scribitur ἥμπουσα, ἡμή, ergo nihil nos impedit, quominus etiam alia sic scribamus, ut ἡπίνοια pro ἡ ἔξοδος, ἡ ἐπίνοια.

b) ubi femininum relativi concurrit cum voce ab ε̄ incipienti, quae verbum esse solet, a quo ipsum pronomen relativum dependeat, ut inde coniunctio sit artissima. Scribuntur igitur secundum analogiam earum formarum, quas crasi scriptas constat in codd, ut ἅπαθον Ach. 377. ἅλαβεν Nub. 1268. etiam ἥφασκεν, ἥφερεν, ἡξεκένωσεν alia, quae scribendi ratio multo plus habet commendationis, quam altera illa: ἡ' φασκεν, ἡ 'φερεν vel ἡ "φασκεν, ἡ "φερεν, nam in ἡ'φασκεν accentus omnino evanuit, in ἡ "φασκεν scribitur ille quidem, sed non habet vocalem qua nitatur.

c) ubi voces encliticae sequuntur, ut γυνῆστι, τιμῆστι, μεστῆστι et quae sunt similia, quae quidem in codicibus γυνή 'στι scribuntur, sed secundum ea quae de crasi regressiva dixi et ex analogia formarum ὥρᾶστι aliarum sic erunt scribenda.

Ω et ᾰ apud Aristophanem viginti fere in vocibus concurrunt, sed

---

[1]) Cfr. etiam Ellendt. lex. Soph. p. 487.

[2]) Idem etiam Ellendt. l. c. p. 448. b. faciendum censet.

ita, ut fere ubique prior vox sit exclamationis particula ὦ; uno tantum loco Lys. 734. concurrunt ἐῶ ἀπολέσθαι, quod ut primum absolvam crasis esse potest, cum artissime altera vox ad alteram pertineat. ὦ vocem cum sequenti voce crasi coalescere posse non negaverim, sed minime probaverim has voces polysyllabas crasi ortas duobus scribi accentibus, nam si una est vox, unum habeat accentum necesse est, aut si duos habet accentus, duo etiam sunt verba, ergo ex. gr. aut ὦ 'νόητε aut, quod ego praefero, ὠνόητε scribendum est, minime vero ὦνόητε, quod Dindorfius fecit quodque codd. praebent et schol. α, 134 infra allatum.

Multo plures inveniuntur loci ubi ω̄ et ε̄ concurrunt, inter quos eodem modo discernemus, nam:

a) ubi prior vox est ὦ exclamandi particula, propter eandem rationem crasim statuemus, qualem fieri testatur schol. α, 134: ὅταν γὰρ ἐν συνα λοιφῇ τὸ ψιλούμενον ἐν ἀρχῇ φωνῆεν ἐπικρατήσῃ, καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐπικρατεῖ, οἷον ὦ ἑταῖρε — ὦταῖρε (!). Sed quod de accentu antea monuimus hoc etiam loco monebimus, nam cum, quod scribitur, ὦπίτριπτε crasis rationi obesse videatur, nos ὠπίτριπτε, ὠφήμερε itemque in scholio illo ὠταῖρε scribendum censemus, quam scribendi rationem etiam Ahrens. l. c. p. 23 commendat his verbis: „scribe autem ὠραννά.

b) ubi prior vox est articuli forma: τὤμῷ, quod sic scriptum invenitur in codicibus.

c) ubi vocem in ω̄ desinentem sequitur ἐστὶν similia, ut πλἐῷστιν, κρείττῷστι contra codices, qui πλέω 'στιν alia exhibent, crasi quam dixi regressiva.

Eodem modo ubi ω̄ et ο̄ concurrunt secernendum et crases scribendas esse censeo:

a) ubi articulus et vox ab ο̄ incipiens se excipiunt ut τὠφθαλμῷ, τὠβολῷ, quod codices etiam praebent.

b) ubi ὦ vocativi ante vocem ab ο̄ incipientem invenitur, ut: ὠβολόσταται, ὤλεθρε, ὤρνιθες, quod ita scribendum puto, non ὦβολόσταται, ὦλεθρε (!), ὦρνιθες (!), quod codices praebent.

Paullo impeditior est quaestio de vocibus ubi ᾱι̅ diphthongus excipitur ᾱ vocali. Hoc quidem iam certum esse puto, ubi αἱ articulus est prior vox, crasim esse statuendam, ergo scribendum esse ἁρχαί, sed aliud crasium genus huc pertinens, quod scribitur a Dindorfio, num recte se habeat cum nesciam infra tractandum mihi proposui.

Uno tantum loco apud Aristophanem vocalium αι et ε̄ crasis invenitur: Ran. 1049 ἁμαί, quam recte ita scripsit Elmsleius etiamsi in cod. R.
αι
εμαι, in ceteris αἱ 'μαὶ legitur, nam articuli formae cum sequenti voce crasi coalescere assolent.

Item recte scribuntur crases τἀγορᾷ, τἀφροδίτῃ, τἠλεφαντίνῃ, τἀγαθῇ, sed utrum τυχἀγαθῇ an τύχῃ 'γαθῇ scribendum sit disceptari potest. Nam codicum scriptura non constat, cum et τύχῃ ἀγαθῇ et τύχῃ 'γαθῇ et ἀγαθῇ τύχῃ exhibeant. Voces etiam, quae concurrunt, non eae esse videntur, quae crasi coniungi possint, sed si respicias solemnem eam fuisse formulam, cotidiano fortasse usu eam crasi coniunctam et propterea scribendum esse contendes τυχἀγαθῇ.

Eodem modo cum in codicibus tradatur τἠκκλησίᾳ, τἠμῇ, θἠμέρᾳ, recte

etiam *θήκάτῃ* scribi videtur Lys. 700. a Dindorfio pro codicum scriptura *τῇ 'κάτῃ*. Agnosci has crases a Tzetza exeges. in Iliad. p. 33. docet Ellendt. l. c. p. 487. b.

ῳ et *α* vocales tribus in vocibus apud Aristophanem concurrentes certe crasi sunt coniungendae, nam prior vox est *τῷ* articuli forma, et codicum auctoritate nititur crasis in *τἀνθρώπῳ* et *τἀνδρί*, qua de re recte etiam scribitur *τἀψήκτῳ* Lys. 658.

ῳ et *ε* una in voce *τῷμῷ* crasi coalescunt, quam crasim testatur Etym. M. p. 757, 24. Praeterea si recte antea disputavimus etiam Av. 273. non *αὐτῷ 'στίν* sed *αὑτῷστι* erit legendum.

ῳ et *ο* ubi coniunguntur unus tantum est locus Ach. 257. *τῷ ὄχλῳ*, quod recte crasi scribitur *τὤχλῳ* itaque scriptum in codicibus traditur.

οι diphthongum, ubi cum vocali concurrit, crasi coalescere posse cum ea nemo negabit, praecipue ubi *οι* illud articuli forma *οἱ* est. Ergo scribatur:

a) *ἅνδρες, ἀγορανόμοι, ἅνθρακες, ἀττικωνικοί, ἅνθρωποι*, etiamsi hoc in codicibus non legitur. Nam idem est ac de *ὁ* et *α* coalescente, quam crasim propterea in codicibus non expressam constat, quod utraque forma erat simillima, nam *ἄνθρωπος*, quod in codicibus legitur, et *ἅνθρωπος* non multum inter se differunt. Accedit praeterea testimonium tituli cuiusdam [1]), quo crasis recte se habere ostenditur. Legitur enim illic: *HAΔEVΦOI* i. e. *ἀδελφοι* = *οἱ ἀδελφοί*.

b) scribatur praeterea *οὑμοί, οὑπιχώριοι*, quod testantur codices, et ex horum analogia etiam *οὑκτός* Vesp. 1287. cum Dindorfio, ubi codices *οἱ 'κτὸς* praebent.

c) scribatur *ὡτοτύξιοι* cum Dindorfio propter eandem rationem, pro *ὠτοτύξιοι*, quod codd. RVΔ praebent: Av. 1043.

Crasis fortasse ibi quoque statuenda est, ubi vocem encliticam in *οι* desinentem excipit alia vox enclitica a vocali incipiens, vel vox atona. Scribatur igitur:

a) *μέντἄν, τἄν* et fortasse *τἄρα* et *οὔτἄρα*, de quibus infra dicetur.

b) scribatur *σοὔστι, τοὔστι, καίτοὔστι, μοὔστι* cet. Eodem modo ubi *ου* diphthongus cum *α, ε, ο* concurrit crasim esse scribendam censeo:

A) ubi prior vox est articuli forma,

a) ergo scribatur *τἀδελφοῦ, τἀργυρίου*, quam crasim etiam codices tradunt. Weckleinius quidem l. c. p. 49. XIX. e Corp. J. I., 160. *TOΓAVMATOΣ* affert quod ex *τοῦ ἀγάλματος* ortum *τὠγάλματος* legendum censet, sed ego his exemplis usus non ita legendum, sed locum illum fortasse male scriptum puto, cum non *TOΓAVMATOΣ*, sed potius *TOAΓAVMATOΣ* i. e. *τοῦ ἀγάλματος*, scribatur necesse sit [2]).

b) scribatur crasis in *τοὐλατῆρος, τοὐλαίου, τοὐνιαυτοῦ, τοὐρανοῦ* cet., quam ita scriptam etiam codices praebent.

c) in *τοὔβολοῦ, τοὐλυμπίου, τοὐρνιθίου* cet., quod item codices testantur.

B) Ubi vocem in *ου* desinentem sequitur vox enclitica, qua de re supra iam dixi. Scribatur ergo *ποὔστι, ὁποὔστι, ὁμοὔστι, στοίχοὔστι* cet., etiamsi codices praebeant *ποῦ 'στὶ, ὁμοῦ 'στὶ, στοίχου 'στί.*

---

[1]) Corp. Inscr. Gr. 8. cfr. etiam Wecklein. curae epigr. p. 49. XIX.

[2]) Etiam de aphaeresi cogitari poterit, ut *TOΛAVMATOΣ* legendum sit: *τοῦ 'γάλματος*, sed aphaeresim post articuli formam, quae saepissime crasi coalescit cum sequenti voce, vix defenderim.

Sed plures praeterea crases erunt statuendae: primum fortasse pronominum *μοί, τοί, σοί,* quae crasi coniungi non possunt cum sequenti voce, si id tenemus quod antea diximus: crasi eas tantum voces coniungi posse, quae arte inter se cohaereant. Nam cum *μοί, τοί, σοί,* encliticae sint, iam accentus inclinatione ad praecedentem vocem pertinent. Jam vero Ahrensius l. c. p. 4. „pronomina, inquit, *μοι* et *σοι* in vulgari demum Atticorum sermone tam atona facta sunt, ut etiam ad sequentem vocem trahi possint. Frequenter apud Aristophanem crasi [1]) coalescunt cum sequenti verbo ut Eqq. 1090. 1092. *μοὔδόκει,* 1167. *σοὔδωκεν,* paullo rarius cum aliis vocibus sensu arte coniunctis ut Nub. 1207. *ἀστέον μοὐγκώμιον,* Eqq. 1237. *ὥς μοὐ* [2]) *χρησμὸς ἅπτεται φρενῶν*". Quae cum ita in codicibus tradantur, alia etiam erunt scribenda, quae deinceps afferam.

Item *ἄρα* vox cum praecedenti *τοὶ* coalescit in *τἄρα, μεντἄρα, ἤ τἄρα, οὔ τἄρα, μή τἄρα,* et raro etiam cum verbis, qua de re videas quae Ahrensius scripsit l. c. p. 7., qui has attulit crases Aristophaneas: *δήξομἄρα* Ach. 325. *οἰμώξετἄρα* Thesm. 248. *οἰμώξἄρα* Plut. 876. *κλαύσἄρα* Pax 532; sed etiamsi crases ita scriptae non extant apud Aristophanem, nam codices aut *ἄρα* aut *γ' ἄρα* aut *γὰρ* et quae sunt similia praebent, tamen ex his ipsis codicum lectionibus quomodo longam syllabam effecerint apparere videtur ita esse scribendum; crasim vero illam *ἀγοράσἀγένειος,* quam Dindorfius Eqq. 1373. pro codicum lectione *ἀγοράσει τ' ἀγένειος* et *ἀγοράσει γ' ἀγένειος* litteris exprimi curavit, vix probaverim neque illam *χρῆσθἀτέρῳ* Pac. 253, etiamsi codicum scriptura *χρῆσθαι θατέρῳ* annuere videtur, de quibus conferas quae Ahrensius l. c. p. 21 contendit. Minime vero crasim *περιόψομἀπελθόντα* Ran. 509, quam constituit Porsonus pro codd. lect. *περιόψομαι ἀπελθόντα* rectam dixerim. Duo etiam accentus his in crasibus scripti nimium esse videntur, ut hanc potius scripturam *οἰμωξετἄρα* amplectar.

Praeterea ex Ahrensii sententia post *μή, ἐγὼ* aliasque voces scribendae sunt, qui omnino hanc statuit legem, ut crasis aphaeresi praeferatur ubicunque utraque fieri posse videatur. Sed celerem eum legislatorem esse puto, nam multa ita crasi addicuntur, quae crasi obscurantur. Ego contra tum demum crasim scribendam censeo, ubi vox ipsa ita est dilucida, ut crasis unde orta sit primo oculorum obtutu agnosci possit. Ex Ahrensi sententia hae igitur addendae essent crasium Aristophanearum numero:

A) crases, quibus *μή* cum sequenti voce coalescit.

a) *μή* cum verbo:

1) cum verbo ab augmento incipienti: *μήφερες* Ach. 137. *μήγένετο* Eqq. 982. *μήσίγας* Lys. 515. *μήλύπεις* Lys. 1025. *μήπεπύσμην* Thesm. 596. *μῆδει* Eccl. 939.

2) cum verbo ab ε incipienti: *μήσθιε* Eqq. 1106. *μήθέλῃ* Vesp. 493. *μῆχῃ* ibid. 1121. *μῆχωμεν* Thesm. 492. *μῆχω* Ran. 169. *μῆχοιμι* Eccl. 794. *μηχέτω* frgt. 447, 2. *μηρρήσετε* Vesp. 1329. *μῆλθοι* Pac. 267. *μηρεῖς* Ran. 7. *μηλλίπωσιν* Plut. 859.

b) *μή* cum pronomine: *μήκεῖνος* Nub. 195. *μήγὼ* Pac. 262. (codd. *μή γε*) Av. 195. Eccl. 1000.

---

[1]) Talem fieri crasim praeter codd. testatur schol. Vesp. 34, infra p. 29. adn. a me allatum.

[2]) Non ita in codd. scribitur, sed *μου* vel *'μοῦ*. *μοὐ* Dindorfii est coniectura.

c) cum praepositionibus:

1) cum ἐπὶ praepositione: μὴπὶ Vesp. 90. Lys. 251. μὴπιτειφεῖν Ach. 197. μὴπιλάθῃ Pac. 1304. μὴπιχεῖν Lys. 197. μὴπιλάβηται Lys. 596. μὴπακούσῃς Thesm. 628. μὴπιορκεῖν Eccl. 1160. μὴπιτρέπειν Plut. 915.

2) cum ἐκ et ἐξ praepositionibus: μὴξεῖναι Ach. 1079. μὴκφύγῃ Eqq. 253. μὴκφάγῃς ibid.. 700. μὴκγένηται ibid. 851. μὴξίῃ Vesp. 70. 113. μὴκδύσεται ibid. 141. μὴκκόρει Pac. 59. μὴξελκύσαι ibid. 315. μὴξελκυσθῇ Eccl. 688. μὴξήνεγκεν Pac. 1151. μὴξευρεῖν Av. 29. μὴκπειρωμένους Lys. 1112. μὴξαμαρτάνειν ibid. 1278. μὴκτραφεὶς Ran. 1191.

3) cum praepositione ἐν: μὴγχῆς Vesp. 616. μὴγχέσαιμι Eccl. 347. μὴνεχυραζόμην ibid. 567. μὴμμένῃς Vesp. 521. — μὴμπειρία Eccl. 115.

d) cum adverbio: μὴτέρωσε Ach. 828.

B) crases, quibus ἤ coalescit cum pronomine: ἠγὼ Av. 1347.

C) crases, ubi ἢ coalescit:

a) cum verbo: ἤκλεψα Ran. 614.

b) cum pronomine: ἠγὼ Eqq. 1163, Nub. 1501, Vesp. 763, Ran. 1147, Eccl. 898. ἠκεῖνος frgt. 397, 2. ἠτέρα Ran. 64.

c) cum praepositionibus:

1) cum ἐπί: ἠπὶ Eqq. 1246. 1312. Vesp. 557. 650. Lys. 2. Ran. 187. ἠπικηρυκεύεται Thesm. 336. ἠπιχωρία Thesm. 907. ἠπίορκον Ran. 150.

2) cum ἐς: ἦς Lys. 2. Ran. 186. 187.

3) cum ἐξ: ἠξώπιος Thesm. 881. 884.

4) cum ἐν: ἠνιαυτῷ Ran. 18.

D) crases, quibus ἤδη coalescit:

a) cum praepositionibus:

1) cum ἐπί: ἠδὴπὶ Nub. 480. ἠδὴπιθυμῶ Pac. 569. ἠδὴπισκόπους Av. 1033. ἠδὴπείξομαι Eccl. 1149.

2) cum ἐξ: ἠδὴξέρχεται Pac. 1265.

b) cum verbo: ἠδὴσπαρμένα Pac. 1140. ἠδὴπάταξα Ran. 645. 647.

c) cum adverbio: ἠδὴνταῦθα Pac. 1305. ἠδῆνδον Ran. 514.

d) cum pronomine: ἠδὴγὼ Av. 511. Eccl. 634. ἠδὴμοὶ Av. 1058.

E) crases, qubius δὴ coalescit:

a) cum verbo: δὴπείνων Ach. 535. δἤγνων Eqq. 632. δἤδοξε Vesp. 1265. δἤφερον Pac. 5. δὴθέμην Av. 923. δὴκεχήνη Ach. 10.

b) cum praepositionibus:

1) cum ἐπί: δὴπὶ Plut. 891. δὴπιθυμῶ Vesp. 86.

2) cum ἐξ: δὴξένεγκε Pac. 1238. δὴκποδῶν Lys. 909. δὴκδύομαι ibid. 925.

c) cum pronomine: δὴμὲ Ran. 841.

d) cum adverbio: δὴντεῦθεν Nub. 62. δἤπειτα Vesp. 665.

F) crases, quibus ὁτιὴ coalescit:

a) cum verbo: ὁτιὴκάλεσας Ran. 1258.

b) cum ἐπὶ praepositione: ὁτιὴπὶ Eqq. 236. ὁτιὴπιώρκεις Eqq. 428. ὁτιὴπελαθόμην Vesp. 853.

G) crases, quibus ἐπειδὴ coalescit: ἐπειδὴμέθυεν Vesp. 1322, ἐπειδἤταν Pac. 619. ἐπειδὴξῃρέθη Lys. 1034.

H) a) crases, ubi ἐγὼ cum sequenti verbi forma coalescit: ἐγᾦδίδαξα

Vesp. 440. ἐγᾦκέλευσα Nub. 1355. ἐγᾦφύτευον Pac. 558. ἐγᾦπεπύσμην Pac. 615. ἐγᾦπυθόμην ib. 824. ἐγᾦφύλαττον Ran. 469. ἐγᾦζων ib. 1072. ἐγᾦβουλόμην ib. 1147. — ἐγᾦνδείκνυμαι Eqq. 278. ἐγᾦπιλελήσμην Vesp. 605.

b) ubi ἐγὼ cum praecedenti coalescit: ἀξιῶγὼ Eqq. 182. θρεψῶγὼ ib. 799. αἰρησῶγὼ ib. 829. καλῶγὼ Nub. 672. ἀνατρεφῶγὼ ib. 901. παθῶγὼ Vesp. 385. δουλευῶγὼ ib. 653. θελῶγὼ Lys. 473. σιωπῶγὼ ib. 530. παταξῶγὼ ib. 658. μολῶγὼ ib. 743. καλεσῶγὼ ib. 851. φιλῶγὼ ib. 870. φερῶγὼ Ran. 20. ἐχῶγὼ ib. 28. — ἀχθομάγὼ Ach. 62. γραψομάγὼ Vesp. 537. καθημάγὼ Av. 444. δυναμᾶγωγε Lys. 758. εἰσομάγὼ ib. 1114. οἰομᾶγωγε Thesm. 594. εὐχομᾶγωγε frgt. 277, 1. — ὁτοὖγὼ Ach. 17. σαυτοὖγώ Nub. 385. — οὐγὼ Vesp. 605. Lys. 390. γενοὖγὼ Ran. 495.

Has omnes e cetersrum crasium serie secludendas putavi, primum, quod codices obversantur, tum quod non ita dilucidae esse videntur, ut unde sint ortae primo oculorum obtutu percipi possit.

Ergo si repetimus paucissimis verbis quae hac disputatione prodire videantur:

1) Crasis vocalium longarum vel diphthongorum est statuenda:

a) ubi prior vox est forma articuli, pronominis relativi, vox enclitica (quam sequitur enclitica),

b) ubi sequitur vocem in longam vocalem vel diphthongum desinentem vox enclitica vel alia vox minoris momenti.

2) Aphaeresis igitur omnibus reliquis locis est scribenda, illis praecipue, quibus duo graviora longioraque se excipiunt verba, ut περιόψομαι 'πελθόντα cett.

Simul aliud etiam inde prodire mihi videtur. Mehlhornius enim in gr. gr. §. 96. adn. duo cum statuerit crasis esse genera: crasim legitimam et illegitimam (vel propriam et impropriam), illegitimam eam vocat, qua vocalis brevis absumitur longa antecedenti vel sequenti, ex. gr. ἢ 'γώ, ἡ 'μή; ταὐτά, θἤμισυ. Ego vero talem crasium distinctionem non esse statuendam censeo; nam cum crasis proprium sit vocalium coniunctio (τὸ κιρνᾶν ut dicunt veteres), ταὐτὰ et θἤμισυ ad unum idemque crasis genus pertinent, nec minus ἡ 'μή, quod potius ἡμή scribendum esse iam dixi, ἢ 'γὼ vero cum ad crasim non pertineat aphaeresi addicatur, ergo non inter crasim propriam et impropriam (vel legitimam et illegitimam) est distinguendum, sed inter crasim et aphaeresim; hanc si quis crasim quasi impropriam appellare velit, equidem non obstabo, sed tum secernenda sunt omnia illa ut ἡμή, ταὐτά, θἤμισυ cet., quae crases esse confido.

b. De crasis origine.

Nunc quoniam satis iam dictum esse putem quid sid crasis, quoque modo differre videatur ab elisione, et aphaeresi, enarrandum esse puto ubi inveniantur crases; quod non multum difficultatis habet; nam inveniuntur crases et in prosa oratione et apud poetas, non solum apud Atticos, sed etiam apud Dores, Jones, Aeoles [1]). At non eodem numero apud omnes auctores legunter, nam apud Homerum paucae tantum crases extant, quarum

---

[1]) Ahrens. de dial. I. §. 17, 2. II. §. 27.

nonnullas mutare vel in dubium vocare studuerunt viri docti[1]), nonnullas etiam ultro in textum introducere conati sunt[2]). Plures inveniuntur in tragicorum fabulis, multo vero plurimae in poetis comicis. Qui prosa oratione scribunt, magis abstinent crasi, praeter oratores. Nec mirum hoc nos habere potest, nam si in mentem revocaverimus quod antea diximus, crasim fieri ad effugiendum hiatum, inveniemus non fuisse cur, qui prosa oratione scribebant, crasim adhiberent, nam hiatum omnino non fugiebant nisi qui summa arte orationes componebant ut Isocrates alii. At magis mirandum videtur, quod in Homeri carminibus non plures inveniuntur crases. Huius rei rationem explicationemque cum diutius quaesiverim hanc invenisse mihi videor.

Duo fortasse sunt crasis genera, alterum vulgare, alterum artificiosum, quae genera non solum non multum inter se differunt, sed etiam ita sunt similia, ut alterum ex altero ortum esse facile appareat, qua de re postea dicturus sum. Crasim omnino vulgarem i. e. cotidiano hominum usu usitatam fuisse testari videtur quod multo plurimae crases inveniuntur in comoediis, quas a sermone vulgari non recesisse constat, et quod raro tantum in tragoediarum canticis, saepius in diverbiis inveniuntur. Duo si dixi esse genera crasis, artificiosum et vulgare, vulgari eas crases contineri putavi, quas inter loquendum homines Graeci fecerunt, cuius usus testimonia inveniuntur in titulis, sed ad artificiosum genus eas rettuli crases, quae ratione fiunt ad effugiendum hiatum, quas fieri non licuisset, nisi vulgare crasium genus extitisset i. e. nisi tales iam factae essent crases cotidiano hominum sermone.

Praeterea si respicimus, quod iam dixi, quam paucae inveniantur crases apud Homerum, crasis usum non eundem fuisse omnibus temporibus apparet, sed e vulgari sermone eum passim et eo ordine esse receptum a poetis, quo ipse divulgabatur. Quem ordinem ita factum esse mihi persuasum est, ut

1) antiquissimis temporibus vocales se excipere potuerint i. e. ut hiatus tolerabilis fuerit. Ex illis temporibus si extaret carmen quoddam, certe hiatus exempla gravissima in eo essent eodem modo, quo in Latinorum versibus saturniis, quorum legem unam Ritschelius[3]) contendit esse, „ut . . . . nec quicquam offensionis vel arsium solutio vel neglectio caesurae vel v o c a l i u m h i a t u s habeat“.

2) Postea vero cum hiatus sentiretur, certe primum moleste ferebant eum, ubi vocales breves se excipiunt; ergo elisione priorem vocalem absumebant, eam vero vocalem, quam elisione absumere non licebat, imminuebant sensim et quod firmitatis illi eripiebant in augenda altera consumebant, unde

3) postea vocalium brevium crasis exorta est.

4) Longae vocales, quae ad evitandum hiatum sensim erant correptae, cum sequentibus brevibus, itemque breves cum sequentibus longis coalescunt,

5) denique longae etiam cum longis coalescunt eodem modo, quo aliae illae, huic coniunctioni sensim accomodatae.

---

1) Spitzner. exc. ad Il. XIII, 2.
2) Herodian. Iliac. pros. Α, 636. Ν, 477. —
3) De titulo Mumm. p. II.

Quod si rem, quam verbis exposui, exemplis describam, hunc igitur habebimus ordinem, quo crases factas esse contendam:

	I. breves:	II. breves et longae:	III. longae et breves:	IV. longae et longae.
1)	*κατὰ ἐμοῦ, ὁ ἐμόῦ;*	*τόδε οἶμαι, τὸ ἥμισυ;*	*ἡ ἀγορά, οἱ ἄνδρες;*	*οἱ αἰπόλοι, τῇ οἰκίᾳ.*
2)	*κατ' ἐμοῦ, ^{ὁ}εμός;*	*τόδ' οἶμαι, τοἥμισυ;*	*ἡαγορά, ὁάνδρες;*	*ὁαιπόλοι, τηοικίᾳ*
3)	. . *οὑμός;*	. . *τ^{ὁ}ἥμισυ;*	*^{ἑ}αγορά, ^{ὁ}άνδρες;*	*ὁ^{αι}πόλοι, τ^{ε}οικίᾳ*
4)	. . .	. . . *θἥμισυ;*	*ᾆγορά, ἄνδρες;*	*ὁ^{ᾰ}πολοι, τ^{ε}ο^{ι}κιᾳ*
5)	. . . .	. . . .	. . . .	*ᾡπόλοι, τῴκίᾳ.*

De singulis certe dubitari poterit, sed omnino hanc fuisse viam ex ipsis Homeri carminibus apparebit, in quibus elisio quidem, sed crases paucae tantum et hiatus certis quibusdam locis invenitur, qua de re cfr. Hoffmann. quaestt. Homer. I. p. 53. seqq. alios. Utrum recte haec se habeant is diiudicare poterit, qui paullo accuratius de crasibus Homericis egerit, de quibus etiam inter antiquos erat dubitatio [1]). Nunc igitur hoc teneo: crases non eodem tempore esse factas, sed ita, ut a crasi duarum brevium progressum sit ad crasim duarum productarum vel diphthongorum [2]). De vocalibus quas in hoc ordine descripsi, postea agetur.

Hoc satis esse puto dictum, ut appareat, ubi inveniantur crases quoque modo exortae videantur esse: nunc vero de crasium signo, de coronide, agendum censeo.

c. De coronide.

Coronis eandem habet formam quam spiritus lenis (᾿), quae coronis suprascribitur vocalibus vel diphthongis crasi ortis, ut *τοὐμόν, κἀγώ.* Eius mentionem factam esse videmus in Etym. M. p. 763, 9: *ἰστέον, ὅτι ἡνίκα γίνεται κρᾶσις ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων τίθεται κορωνίς, οἷον τὸ ἐμὸν-τοὐμόν, τὰ ἐμὰ — τἀμά, προέστη — προὔστη, πρόοπτον — προὖπτον, ἡνίκα δὲ μὴ γίνεται κρᾶσις ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων οὐ τίθεται κορωνίς, οἷον νόος-νοῦς, Δημοσθένεος — Δημοσθένους. πρόσκειται ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων διὰ τὸ Ἡρακλέης — Ἡρακλῆς. τοῦτο γὰρ ἐκ δύο λέξεων ὂν ὅμως οὐκ ἔχει κορωνίδα, ἐπεὶ οὐκ ἐγένετο ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων ἡ κρᾶσις, ἀλλ' ἐν τῷ μέσῳ τῆς δευτέρας λέξεως. ἡ γὰρ ἁρμογὴ τῶν δύο λέξεων μεταξὺ τοῦ ᾱ καὶ τοῦ κ̄ ἐστί.* Non puto unquam inveniri testimonium hoc distinctius magisque dilucidum, nam aperte contendit coronidem *ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων* tantum poni, minime vero supra vocales eiusdem vocis contractione in unam coniunctas. Neque tamen hanc omnium antiquorum grammaticorum fuisse sententiam putat Lobeckius in adn. ad Soph. Aiac. 1.; nam ex grammaticorum disceptatione de coniunctione *κᾆτα* utrum ea ex *καὶ εἶτα* composita, an sic ut *δῆτα* producta sit [3]), partim ex eo quod in signorum prosodiacorum enumeratione nota crasis omittatur non solum a grammaticis, quos omnes noverint, sed etiam ab Epiphanio [4]) colligi posse eam

---

[1]) cfr. locos supra iam allatos: Herodian. Iliac. pros. Λ, 636 cett.

[2]) Momenti praeterea his in quaestionibus est articuli usus Homericus, quem ab Attico recedere quis est quem fugiat?

[3]) Apollon. de coni. p. 496.

[4]) De mens. et pond. p. 159.

ignotam fuisse antiquioribus. Sed propterea, quod antiquioribus nondum erat notum coronidis signum, tunc omnino omittendam coronidem dices vel tum demum adhibendam, cum ambiguitas vitanda sit? Ego vero, ut omnino mittam rationem illam ex Epiphanii silentio petitam, si quid invenerunt magistri illi Alexandrini sanum aptumque ad intellegenda faciliusque legenda scriptorum verba, eo utendum esse puto. Quod vero attinet ad alteram rationem, quam attulit: coronidem antiquioribus notam fuisse non videri, quod alias de origine vocis *κᾆτα* disceptare non potuissent, hoc multo infirmius esse puto, ut eius opinionis refutandae causa verbum amplius non addam. Sed cum plerique grammatici hoc praecipiant, quod antea ex Etym. Magno attuli, eis obtemperandum et coronidem esse scribendam censeo [1]).

Praeter hanc alia etiam invenitur coronis. Idem enim ille Lobeckius eodem loco dicit legi in codicibus:

ἀεὶ μέν, ὦ παῖ, Λ ἀ ρ τ ί ο υ, δέδορκά σε . .

Λἀρτίου voce coronide scripta, cum vero grammatici expressis verbis dicant: *ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων τίθεται κορωνίς*, hanc coronidem vocans pseudocoronidem nihilominus eam ubique ubi inveniatur servandam existimat; exortam enim eam esse ex interpretatione etymologica vocis *Λαέρτης*, quam ex *λᾶς* et *ἀερτάζειν* compositam esse putaverint antiqui. Sed non bene hoc eum fecisse puto, nam aut ortum est *Λἀρτίου* e duabus vocibus et signum illud non pseudocoronis, sed coronis est vocandum, aut non ortum est e duabus et signum illud omnino est delendum secundum praeceptum illud: *ἡνίκα δὲ μὴ γίνεται κρᾶσις ἐν ἁρμογῇ δύο λέξεων οὐ τίθεται κορωνίς*. At certe fuerunt qui hanc vocis *Λἀρτίου* etymologiam esse putarent [2]). Ex horum igitur sententia profecta videtur coronis (non pseudocoronis) in media voce. Ego vero eam etymologiam certam non dixerim, nec, si probarem, vocem quae ita in unum coaluit, ut nomen proprium facta sit, signo illo addito scriberem, nam non sunt duae voces solidae quae ibi coaluerunt. Ceterum non ita multum firmitatis illa scriptura videtur habere, nam, ut e Dindorfii adnotatione critica video, illo Aiacis loco in cod. Laur. *Λαρτίου* legitur, cui signum crasis additum est a manu recenti. Haec mihi dicenda videbantur de coronide, quam scribendam censeo, et de pseudocoronide, quam nullam esse iudico. Num vero omnibus illis locis, quibus crasis est, coronis scribi possit, et si non possit scribi, quibus locis hoc fiat nunc erit disquirendum.

d. De spiritu.

Hac vero in disquisitione quattuor genera sunt distinguenda propter spiritum vocalis utriusque coalescentis. Sunt vero haec genera:

1) ᾿– ᾿– (utraque vox habet spirit. lenem),
2) ᾿– ῾– (prior lenem aut nullum omnino, altera asperum),
3) ῾– ᾿– (altera asperum, altera lenem),
4) ῾– ῾– (utraque asperum),

quibus de generibus nunc paullo accuratius erit agendum. Et quod attinet ad primum genus (᾿– ᾿–), nihil est monendum; nam si prioris vocis syllaba

---

[1]) Cfr. etiam Ellendt. lex. Soph. p. 484, 6.
[2]) Etym. M. p. 554, 37. Eustath. p. 1475, 25. alii.

finalis coalescit cum vocis sequentis initiali, et finalis illa syllaba incipiebat a consonanti, secundae vocis spiritus evanescit et signum supra scriptum est coronidis, *τὸ ἐμὸν — τοὐμόν*. Sin vero prior vox una tantum est vocalis spiritu leni scripta, ut *ὦ*, et si talis vox crasi coniungitur cum alia voce a spiritu leni incipienti, ut *ἄνδρες*, exspectatur *ὦνδρες* spiritu leni et coronide scriptum, sed cum nihil ambiguitatis habeat vox, etiamsi uno tantum signo scribatur, alterum, coronidis signum ut minus necessarium omittitur.

Nunc ad secundum illud genus (᾿ ῾) nos conferamus disputationeque absolvamus, quod fiat ubi prior vox spiritum lenem, posterior spiritum asperum praebet vel ubi vox in vocalem desinens excipitur voce a spiritu aspero incipienti. Quod attinet ad primum illud spiritus asper posterioris vocis omittitur itaque crasis scribenda est: *ὦταῖρε* [1]), quod testatur schol. *α*, 134: *ὅταν γὰρ ἐν συναλοιφῇ τὸ ψιλούμενον ἐν ἀρχῇ φωνῆεν ἐπικρατήσῃ καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐπικρατεῖ, οἷον ὦ ἑταῖρε — ὦταῖρε* (!). Sin vero, quod iam dixi, vox a consona incipiens crasi coniungitur cum voce, quae a vocali aspero spiritu scripta incipit, consona illa nisi iam aspirata est in aspiratam mutatur, ut *θὤπλα τὰ ὅπλα, θαἷμα — τὸ αἷμα, χἄττα — καὶ ἅττα*. Hoc quomodo ortum sit si quaeras, non difficile erit explicatu; nam in verbis *τὰ ὅπλα* pronuntiandis a priore *τὸ* ita festinabatur ad posterius illud *ὅπλα*, ut vocalis *ᾱ* similis facta sit alteri: *τοόπλα*. Quod cum fieret pronuntiando spiritus etiam praeripiebatur, ut esset *τόοπλα* vel *τ῾ωπλα*. Hoc modo cum spiritus propius accessisset ad litteram mutam, in aspiratam cum illa hac vicinia transierit, *θωπλα* ortum est, quod crasis signo et accentu scribitur *θὤπλα*. Ita ergo scribendum censeo. Fuerunt quidem, qui aliter rem instituerent et *θῶπλα*, alii, qui *θὥπλα* scriberent; quorum utrumque aliquid habet verisimilitatis et dubii. Nam *θὥπλα* uno illo nititur: vocalem *ω̄* antea asperum spiritum habuisse; sed monendum est contra: asperum illum spiritum ad *τ* litteram in *θ* mutandam consumtum, vel, ut ita dicam, *θ* nihil esse nisi *τ῾* uno signo (*θ*) scriptum, quod Brunckius etiam putavit, qui in adn. ad Aristoph. Lys. 277. „cum, inquit, aspiratio transierit in literam *θ*, necesse non est, ut spiritus asper adpingatur: scribo *θὤπλα*, quod in aliis similibus observatum.“ Propter eandem rationem alterum illud corruit de scribendo *θὥπλα* vel *θὣπλα* a nonnullis in medium prolatum.

Ad tertium nunc genus nos conferamus (῾ ᾿), quo prior vox a spiritu aspero, posterior a leni incipit, ut *ὁ ἀνήρ, ὃ, ἐγώ ὁ αὐτος, ἡ ἀρετή*. Quae voces quo modo sint crasi scribendae optime ostendit Apollonius in Etym. Magn. p. 641, 10: *οὑμός — ὅτι Ἀπολλώνιός φησιν ἐν τοῖς πνεύμασιν τὴν δασεῖαν ἐπικρατεῖν, ὁ ἐμὸς — οὑμός, ἃ ἔπαθον — ἅπαθον*, ergo etiam *ἁνήρ, οὑγώ, αὑτός, ἁρετὴ* cet., de quibus postea copiosius agetur.

Quarto denique genere (῾ ῾) alter spiritus asper omittatur necesse est.

e. De vocalium mutatione.

Huc quoniam ventum est, non solum non alienum esse videtur a re suscepta, sed necessarium potius, ut de vocalibus, quae crasi prodeunt, quoad possumus, diligenter agamus. Neque tamen de omnibus vocalibus,

---

[1]) De accentu infra dicetur.

quae leguntur in crasi disseram, sed de illis tantum, quas exemplis Aristophaneis illustrare possum, et ne de his quidem omnibus, sed ex eo numero excipiendas puto, quae eandem atque antea servant vocalem:

τὰ ἄλλα — τἄλλα
ἁ ἀρχά — ἁρχά
τοῦ οὐρανοῦ — τοὐρανοῦ

quaeque sunt eius modi. Restant tamen multae vocales, quae disserendi praebent facultatem.

Atque ab omnibus fere grammaticis hanc esse Atticorum consuetudinem traditur, ut in crasi non prioris vocis vocalem finalem, sed alterius initialem servent. Hoc multis illustratur exemplis Aristophaneis:

α ο coalescit crasi in *ω̄* : *τὠνόματα* Nub. 395. *θὤπλα* Av. 449.
ο α „ „ „ *ᾱ* : *τἀργύριον* Nub. 756. *τἄγαλμα* ib. 995.
ο η „ „ „ *η̄* : *θἠρῷον* Vesp. 819. *θἤμισυ* Lys. 116.
α αυ „ „ „ *ᾱυ* : *ταὐτὰ* Nub. 546.
ο αυ „ „ „ *ᾱυ* : *ταὐτομολεῖν* Plut. 1150. *ταὐλίον* Lys. 721.
ο αι „ „ „ *ᾱι* : *θαἶμα* Lys. 205. *ταἴτιον* Thesm. 549.
η α „ „ „ *ᾱ* : *τἀγορᾷ* Ach. 728. *τἀγαθῇ* Nub. 61.
η η „ „ „ *η̄* : *θἠμέρᾳ* Thesm. 76.
ῳ α „ „ „ *ᾱ* : *τἀνθρώπῳ* Nub. 512. *τἀνδρὶ* Lys. 223. 224.
ῳ αυ „ „ „ *ᾱυ* : *ταὐτῷ* Vesp. 969.
ου αυ „ „ „ *ᾱυ* : *ταὐτοῦ* Eqq. 1289.
ου α „ „ „ *ᾱ* : *τἀνδρὸς* Vesp. 347 *τἀδελφοῦ* Nub. 536.

quibus fortasse addi potest, nisi aliter de hac crasi sentias:

η ε „ „ „ *η̄* : *τἠκκλησίᾳ* Eqq. 76. *τἠμῇ* Av. 815.

Factum hoc inde videtur, quod prioris vocis vocalis finalis submissa voce exprimebatur, vel potius quod, cum minimus prioris vocalis sonus auditus esset, ad alteram citissime transiri solebat, qua in re inter loquendum prioris vocalis sonum similem esse factum sequenti vocali posteaque ab ea ipsa absumtam vel cum ea coniunctam dixerit quispiam. Ergo si quod modo diximus signis litterisque assequi studemus, ita sensim transitus factus est:

αο	^{α}ο	^{ο}ο	ω
οα	^{ο}α	^{α}α	ᾱ
οη	^{ο}η	^{ε}η	η
ααυ	^{α}αυ	^{α}αυ	αυ
οαυ	^{ο}αυ	^{α}αυ	αυ
ο αι	^{ο}αι	^{α}αι	αι.

Sed rem ita factam esse si putamus, certe mirum est, quod, ut ex *αο-ω*, ita ex *οα-α*, ex *οη-η*, ex *οαυ-αυ* ex *οαι-αι* oritur, priore littera plane in aliam mutata. Quae difficultas cum hoc modo non tollatur, rem ita potius se habere puto, quam sententiam aequis iudicibus diiudicandam nunc proponam. Vocalis illa, quae plene primo loco pronuntiatur (*οα*), secundo ita debilitatur, ut partem tantum habeat prioris gravitatis (^{ο}*α*), sed tertio loco nihil iam superest nisi minima eius soni pars, tanta tamen, ut audiri possit; illud vero gravitatis, quod alteri huic vocali ereptum est, alteri additur, unde fit, ut illa producatur. Est ergo crasis quasi pugna

vocalium concurrentium, qua in pugna certatur de vita, ita tamen, ut altera alterius morientis evanescentisque facultatibus eadem ratione, qua illa sensim evanescit, sensim adiuvetur atque augeatur [1]). Ergo si vocalis illius evanescentis particulam hoc signo (′) scribam, haec erit via qua crasis oritur:

τὸ ἀργύριον	τ°αργύριον	τ′ᾱργύριον	τἆργύριον
ὁ ἀνήρ	°ανήρ	″ᾱνήρ	ἁνήρ.

Eodem modo ortae sunt crases illae, quarum pars prior est καὶ particula, nam in illis quoque secundae vocis vocalis initialis servatur, qua de re cfr. quae Curtius stud. I, 2. p. 279 seqq. exposuit. Coalescit igitur:

καὶ ᾱ..	in κά..	: κᾆδικα Ach. 373. κᾆλλος Pac. 511.
καὶ η̄..	in κή..	: χἠ Pac. 319. χἠμεῖς Vesp. 574.
καὶ ο̄..	in κώ..	: κᾦψον Vesp. 301. κώπίσω Lys. 434.
καὶ ο̄ῡ..	in κού..	: κού Eqq. 398. κοὔπω Ach. 505.
καὶ ω̄..	in κώ..	: κώδύνη Thesm. 484. χὤσπερ Nub. 389.
καὶ ᾱῡ..	in καύ..	: καὐτος Vesp. 556.
καὶ ᾱῑ..	in καί..	: χαἰ Lys. 47.
καὶ ε̄ῡ..	in κεύ..	: κεὐριπίδης Ran. 758.

Quod si eodem modo describimus, quo antea fecimus, hanc habebimus vocalium coniunctarum seriem:

καὶ ᾱ..	καα..	κ^{α}α..	κ′ᾱ..	κᾆ..
καὶ η̄..	καη..	κ^{α}η..	κ′η̄..	κἦ..
καὶ ο̄..	καο..	κ^{α}ο..	κ′ο̄..	κῷ..
καὶ ο̄ῡ..	καου..	κ^{α}ου..	κ′ο̄ῡ..	κο̄ῡ̓.. cet.

Jota vocis καὶ omnino evanescit secundum illud Etym. Magn. p. 412, 54.: οὐδέποτε μεταξὺ τοῦ ῑ ὄντος ἢ τοῦ ῡ ἢ συμφώνου κρᾶσις γίνεται, ἀλλὰ πρῶτον ἀποβάλλει αὐτὸ καὶ οὕτω γίνεται ἡ κρᾶσις [2]). Quod cum nondum satis fuerit perceptum a veteribus multa inveniuntur in editionibus ante hoc saeculum paratis incorrecta ne dicam perversa: ex. gr. quae praesto erant, in Zosimi editione a Reitemeiero parata, quae prodiit Lipsiae a. 1784. leguntur: κᾀκεῖσε I, 13. 3 pro κἀκεῖσε, κᾀνταῦθα I, 38. 4. pro κἀνταῦθα similia; in edit. Cebetis ab Heynio parata Varsaviae a. 1776: κᾀνταῦθα 25, 4 pro κἀνταῦθα, κᾀκεῖνα ibid. pro κἀκεῖνα, κᾀγὼ 29, 2 pro κἀγώ, κᾂν 50, 3 pro κἄν, alia permulta.

Sed redeamus ad propositum. Omnibus his locis cum secundam vocalem servatam esse videamus hac re freti nonnulli id crasis Atticae proprium esse censuerunt. Sed obstant nonnulla, quae, priusquam hoc rectum esse aut contendere aut negare possimus, disquirenda sunt.

Ac primum ubi concurrunt α ι, α υ, ε ι, ε υ, ο ι, ο υ, si, quod dicitur, recte se haberet, ex ratione illa crasi in ῑ et ῡ omnia coalescerent, sed non ita coniunguntur, nam:

---

[1]) Memoria dignum videtur non omnes linguae Graecae dialectos in crasis significatione eadem uti vocali vel diphthongo, sed multum inter se differre. Nam eadem lex quam ab Attica dialecto observari contendunt grammatici: ut servetur alterius vocis vocalis initialis, ab aliis dialectis non observatur, qua de re cfr. Ahrens. d. diall. I, 104. II, 220, et ea quae ipse p. 20 dixi.

[2]) Cfr. praet. Etym. M. p. 397, 4. 481, 14. al. locc.

α et ι coalescunt in ᾱῑ: θαἰμάτια Vesp. 408. cet.
ο et ι in ο͞ι: θοἰμάτιον Ach. 319.

Haec res synaeresis nomine significatur ab antiquis ex. gr. A. B. pag. 697, quem locum iam in huius operis initio descripsi: ἡ συναίρεσις περὶ τὸ ῑ καὶ τὸ ῡ καταγίγνεται προηγουμένου προτακτικοῦ φωνήεντος οἷον πάϊς παῖς, ἀΰω — αὔω, Δημοσθένεϊ — Δημοσθένει. διαστέλλεται δὲ τὸ συνῃρημένον ἀπὸ τοῦ ἐντελοῦς ἐκ τοῦ μὴ περιστίζεσθαι τὸ ῑ καὶ τὸ ἐν τῇ συναιρέσει. Quod non in una tantum voce, sed etiam in duarum vocum concursu fieri si adiecerimus, crasis illius habebimus explicationem.

Jam vero quaeritur, qui fiat, ut non coalescant ō et ῑ in ῑ, ᾱ et ῑ in ῑ, ō et ῡ in ῡ cet.? Cuius rei explicationem hanc esse puto. Equidem supra iam dixi quomodo unam tantum vocalem longam e duabus ortam esse putem, ita quidem, ut ex altera vocali remanserit aliquid, quod auditur quidem, sed litteris non exprimitur. Littera igitur vel vocalis producta non plane eadem erat, ac sonus qui audiebatur, sed quoad eius fieri poterat simillimus. Ergo ō et ῑ ubi crasi coalescunt, crasis illa non ῑ littera exprimitur, quia praeterea ex altera vocali ō remanserat aliquid littera una ῑ non expressum, ergo crasi diphthongus oriebatur. Haec diphthongus num melius exprimi poterat quam ο͞ι diphthongo? Quod de ο͞ι idem etiam de α͞ι et ο͞υ statuendum esse sua sponte apparebit, qua de re verbum amplius non addam, ad alteram potius me conferam rem tractandam:

ō ε̄ crasi coalescit in ο͞υ: τοὖργον
ō ō „ „ „ ο͞υ: τοὔνομα.

Si tenemus quod nonnulli Atticae crasis esse dixerunt, ut servet posteriorem vocalem: ex ō ε̄ coniunctis non ο͞υ, sed η̄, ex ō ō non ο͞υ, sed ω̄ exspectaverit quispiam. Quaeritur igitur cur in ο͞υ potius coalescant crasi ō ε̄ et ō ō? Si quis ad haec responderet: contractionis hoc fieri regulis, idem responderet, quod ex eo quaesivi, nam tum quaerendum esset cur ō ε̄ et ο͞ο contractione in ο͞υ coalescant. Ergo nihil illis „contractionis regulis“ explicatur. Ego vero secundum ea, quae antea dixi, ο͞υ signum tantum esse contendo eius soni, qui non idem erat ac ο͞υ = οϋ, sed similis: $^{o}\iota$, ^{o}o.

Omnibus his locis duae tantum vocales vel diphthongi et vocales coniungebantur, sunt praeterea loci nonnulli, quibus tres vocales vel diphthongi coalescunt:

χἄνδρες = καὶ οἱ ἄνδρες Lys. 594. (Reisig. coni.)
χἄν = καὶ ἃ ἄν Thesm. 90. (Markland. coni.)

His multi Theocritei addi possunt, quibus firmatur tres coalescere posse vocales, nam ex Aristophaneis non apparet, cum priore loco Lys. 594. γ' ἄνδρες codd. R. Aug. κἄνδρες ceteri praebeant, altero vero Thesm. 90. κἄν. Sed e sententiarum conexu concludi potest recte coniecisse viros illos cum χἄνδρες et χἄν conicerent. Tertius fortasse locus Aristophaneus huc referri poterit: Lys. 48. ubi in codicibus legitur χὴ' γχουσα, sed fortasse χἄγχουσα = καὶ ἡ ἄγχουσα scribendum erit. Has crases si ita factas diceremus, ut primum aut καὶ et οἱ, καὶ et ἅ, καὶ et ἡ in χοἰ, χἄ, χἠ, tum χοἰ ἄνδρες, χἄ ἄν, χἠ ἄγχουσα in χἄνδρες, χἄν, χἄγχουσα aut primum οἱ ἄνδρες, ἃ ἄν, ἡ ἄγχουσα in ἅνδρες, ἅν, ἄγχουσα, tum vero καὶ et ἅνδρες, καὶ et ἅν, καὶ et ἄγχουσα coaluerint, magnum temporis spatium

intercederet necesse esset, quo haec facta essent; sed cum subitariae tantum sint contractiones crases illae, aliter exortae esse non possunt quam hoc modo:

καὶ οἱ ἄνδρες, καοανδρες, κ̔αοάνδρες, κ̔"ἄνδρες, χὤνδρες
καὶ ἃ ἄν, κααάν, κ̔ααάν, κ̔"ἄν, χἄν
καὶ ἡ ἄγχουσα, καηάγχουσα, κ̔αεάγχουσα, κ̔"ἄγχουσα, χἄγχουσα.

Haec sufficiant de vocalibus; liceat mihi nunc paucis verbis exprimere quae hac dissertatione prodire puto.

In crasibus Atticis utraque vel potius cunctae quae coalescebant, audiebantur, ita tamen ut una tantum gravitate praevaleret, cum alterius minima tantum pars nec satis distincte perciperetur. Hac alterius utrius gravitate ducti signum crasis adhibere solebant, crasimque ipsam litteris exprimebant, quae significatio saepissime non par erat sono, verum tamen simillima. Utra vero gravior sit vocalis, apparet e vocibus, quae coniunguntur. Cumque crasis praecipue esse soleat, ubi leves voces ut articuli formae, cett. cum substantivo coalescunt quod gravius est illis, inde fit, ut saepissime eius sequentis vocis vocalis initialis [1]) servetur.

Cum in hac versabar quaestione et eius rei recordabar quomodo differant inter se pronuntiando populi gentesque quoque alieno modo pronuntientur vocales: fieri posse putabam ut demonstraretur crasis et contractionis diversitatem, qua differunt Graeciae gentes, diversa tantum vocalium pronuntiandarum ratione oriri ita, ut secundum maiorem minoremve soni gravitatem ab aliis gentibus aliae vocales eiusdem crasis signum scriberentur. Sed hoc in transcursu monere volebam, nam rei diligentius perquirendae cum tempus non fuerit, aliis haec disquirenda, si placet, permittam.

Ceterum, si respicis quomodo antea rem definierimus, apparet crasim violentiorem esse synizesin, nam hac tantum, ut ita dicam, violentia differunt inter se, quod iam ab antiquis obvervatum esse A. B. p. 855, 31 ostendit, ubi legitur *ὅταν γὰρ φωνηέντων ἐπάλληλος γένηται ἡ προφορὰ τότε γίνεται ἡ συνίζησις εἰς μίαν συλλαβήν. διαφέρει δὲ συναλοιφῆς. ἡ μὲν γὰρ γραμμάτων ἐστὶ κλοπή, ἡ δὲ χρόνων, καὶ ἡ μὲν συναλοιφή, ὡς λέγεται, φαίνεται, ἡ δὲ οὔ.* Utrique igitur communis fuisse videtur *ἡ ἐπάλληλος προφορά*, nam si non ita res se haberet, nihil esset cur adiceret grammaticus ille quomodo differant. Idem vero cum hanc statuat differentiam: synaloepham esse *γραμμάτων κλοπήν*, synizesin vero *χρόνων*, nonnullis contraria nostrae sententiae eum docere videri potest. Nam si synaloephae proprium esset ut vocales absumat, antiquum haberemus testimonium quod ills obstaret quae diximus: non plane evanuisse vocales priores sed earum particulam remansisse. Ac si videmus quae complectuntur synaloephae nomine, de quo iam in prima operis nostri parte dictum est, non ita locum esse interpretandum ut appareat futurum esse confido.

Nam synaloephae nomine continentur elisio, synaeresis, crasis. Elisione vocalem nequaquam deleri vel absumi iam ex trita illa de Hegelocho histrione[2]) narratiuncula apparet, quam copiose tractavit Ahrens, de crasi et aphaer. p. 1. seqq. Nec minus deletur vocalis synaeresi, nam secun-

---

[1]) Curt. stud. I, 2. p. 279.
[2]) Cfr. Ar. Ran. 303. ibique interpretes.

dum praeceptum illud A. B. p. 697, quod iam in huius libelli initio attuli, ἡ συναίρεσις φυλακτική ἐστιν τῶν αὐτῶν φωνηέντων, ergo nihil obstat, quominus, quod in elisione et synaeresi factum videmus, idem de crasi statuamus et grammatici illud: ἡ μὲν γὰρ (συναλοιφή) ἐστι γραμμάτων κλοπή de sola verborum forma, quomodo litteris exprimitur, accipiamus dictum: ex. gr. γαλήν' ὁρῶ et ἀνήρ. Quod ita se habere etiam ex illis apparet, quae deinde sequuntur: καὶ ἡ μὲν συναλοιφή, ὡς λέγεται, φαίνεται, ἡ δὲ οὔ. Nam nihil aliud his verbis exprimitur nisi synaloëpham etiam oculis percipi, synizesin non percipi, quod rectum esse nemo negabit, cum θεός, etiamsi secundum versus leges vox monosyllaba sit, non aliter scribatur, ac θεός, vocales vero illae, quae crasi in unum coalescunt non iam appareant, etiamsi plane absumptas esse equidem non dixerim, praecipue iis in crasibus, quae non ita saepe, vel sero demum occurrunt. Quae saepius occurrunt crases, vel quae non artificiose a poetis tantum adhibentur, sed ab omnibus scriptoribus; in his igitur quae vulgari sermone tritae videntur, etiam ultimam illam alterius vocalis particulam plane absumptam esse et praecipue posterioribus temporibus unam tantum vocalem auditam esse ego etiam libenter crediderim.

Tantum dicendum videbatur esse de vocalibus, quae crasi oriuntur; quae praeterea de singulis monenda sunt non huc adiciam, sed tum afferam cum crases describam, quae leguntur in Aristophanis comoediis: nunc ad aliam disputandi materiam venio — ad accentum.

f) De accentu.

Crasi cum duo coniungantur voces, quae proprium habent accentum, in unam vocem, cumque in una voce unus tantum accentus esse possit, necesse est alteram utram vocem privari accentu. Privari solet prior vox. Hoc omnino erat monendum; quod sufficeret nisi essent nonnulla copiosius tractanda, de quibus adhuc dubitatur: de illorum verborum constitutione, quae ita crasi coalescunt, ut accentus secundae vocis in vocali initiali positus sit. At non omnia, quae huc pertinent, in dubio sunt, nam si vox secunda est trisyllaba, crasis acutum in antepenultima habet, vel si est bisyllaba in longam exiens syllabam, crasis acutum in penultima habet; item apparet, si acc. circumflex. in penultima habet prior vox, crasim etiam eundem habere accentum. Sed valde dubitatur si vox illa bisyllaba in vocalem brevem exiens acutum in penultima habet, ut ἄλλα, ἔργον, ἔπος, alia. Mitto enumerare grammaticos et eorum verba describere, quibus alii alium unice rectum se habere accentum demonstrare cupierint, hoc uno contentus ut dicam: duas esse rationes, alteram, qua secundum legem modo descriptam secundae vocis accentus servetur, alteram, qua mutetur. Hanc rationem ut primum absolvam, certe concedendum est eo, quod crasi coalescunt, voces coniunctas pro una etiam esse habendas, sed videamus quomodo progrediantur illi. Ratiocinantur vero ita: propterea, quod omnes illae voces, quae in syllabam brevem exeunt et accentum in producta penultima habent, properispomenae habentur, illae etiam voces, quae crasi fiunt et accentum in syllaba penultiam producta, crasi orta, habent, properispomenae sint necesse est, ergo τἆλλα non solum et τοὖργον, τἆργα, τοὖπος, τἆστρα, θὦπλα scribendum, sed etiam: τἆνδον, cetera. Cui sententiae cur

assentiri non possim postea exponam. Wolfii sententiam [1]), quae quasi medium tenet inter utramque, cur non curaverim qui mihi crimini daturus sit neminem fore puto, nam nullo fere illa nititur praesidio.

Ergo ad alteram illam rationem venio, qua servatur secundae vocis accentus et scribitur *τἄλλα, τοὔργον* cet. Duabus de causis hanc alteri illi praeferendam censeo: primum, quod in codicibus, si fides his in rebus Dindorfio habenda est, ita traditur, deinde vero, quod si crasium originem spectes hic solus recte se habere videtur accentus. Nam cum prior vox non magnae sit gravitatis, sed ad alteram cum festinetur, illius vocis accentus etiam submittitur et secundae vocis accentus servatur, ut:

τὰ ἄστρα   ταάστρα   τ^αάστρα   τ'άστρα   τἄστρα
τὰ ὅπλα   ταὅπλα   τ^αὅπλα   τ'ὅπλα   θὤπλα. cett.

Pars II.

Enumerantur crases Aristophaneae.

Haec erant, quae de crasi omnino praemittenda esse putaveram, nunc crases enumeremus, quae inveniuntur apud Aristophanem, quas ita in ordinem redigemus, ut vocalium coalescentium seriem sequamur, ergo primum erunt afferendae crases factae

1) ᾰ ᾰ vocalibus coalescentibus, unde oritur una vocalis ᾱ producta [2]). Crasium huc pertinentium duo praecipue sunt genera secundum voces, quae in priore crasis parte inveniuntur, nam nulla ibi invenitur vox, nisi neutrum pluralis articuli *τὰ* et neutrum pluralis pronominis relativi *ἅ*, ergo primum eas crases afferamus, quarum pars prior est neutrum pluralis articuli *τά*: *τἀκόλουθα* Ach. 438. *τἄνθεια* Ach. 869. (*τἄνθια* cod. R.) *τἀδικώτερα* Nub. 115. *τἄδικα* Nub. 884. *τἄλφιτα* Eqq. 1009. Nub. 176, 648, 788. *τἄνω* Nub. 231. Av. 1507. *τἄλλα* [3]) Eqq. 942. Nub. 365, 1427. Vesp. 665, 939, 958, 1106. Pac. 430, 870, 934. Av. 1141, 1163, 1539 cet. *τἀλλότρια* Ran. 611. Plut. 931. *τἀληθῆ* Nub. 519. Lys. 993. Plut. 252. *τἄρρενα* Nub. 660. *τἀρχαῖα* Eqq. 1387. Nub. 1156. Vesp. 1479. Pac. 694. *τἀγαθά* Vesp. 577. Pac. 1198, 1326, 1335. Thesm. 311. Ran. 1462. Eccl. 781. *τἀπάργματα* Pac. 1056. *τἀρώματα* Pac. 1159. *τἀμφιδρόμια* Lys. 757. *τἀγάλματα* Thesm. 773. *τἀντικνήμια* Ran. 126. Plut. 784. *τἄνδρεῖα* Eccl. 26, 75, 275. *τὀπόρρητα* Eqq. 282. Eccl. 442. frgt. 520. His exemplis usus Cobetus *τἄστρα* Eccl. 83 coniecit, cum codices *ἄστρα* praebeant, quod non ita necessarium fuisse puto, nam sensus aptus inest in verbis codicum.

Crases vero, quarum pars prior est pronominis relativi neutrum pluralis, apud Aristophanem inveniuntur hae: *ἃν* Nub. 89. *ἀπεκρίνατο* Vesp. 1433, quod bene Dindorfius coniecit pro codicum scriptura *ἀπεκρίνατο*.

2) ᾰ ε̆ crasi coalescunt in ᾱ [4]), quod ita fit, ut e graviore sono crasis significatio sumatur: *τἄργα τ^αεργα.* Harum etiam crasium duo sunt genera apud Aristophanem, qua de re, quae ad utrumque genus pertinent,

---

[1]) Analectt. litt. II. p. 434.

[2]) Haephaest. p. 6. Choerob. 389. Etym. M. 24, 43. Lexicon in Hermann. de emend. rat. gr. 329, 70 cett.

[3]) De accentu cfr. etiam: Ellendt. lexic. Soph.[2] p. 486.

[4]) Choerob. 529, 22. alii.

secernamus et primum eas crases enumeremus, quae fiunt, ubi neutrum pluralis articuli excipitur vocali ε. Sunt vero hae: τἀπὶ Vesp. 289. Pac. 283. Av. 1369. Eccl. 82, 943. Plut. 57, 100. τἀπίλοιπα Eqq. 688. τἀπιεικῆ Nub. 1438. τἀπιδέξια Av. 1493. τἀφόδια Plut. 1024. — τἀν Eqq. 598, 709, 839, 907, 1302, 1375. Vesp. 283. Pac. 665. τἀνθρήνια Vesp. 1080, 1107. τἀμβαδία. Vesp. 601. τἀμπόρια Eqq. 171. Av. 1523. τἀγκλήματα Lys. 1110. — τἀκείνων Pac. 625. τἀκεῖ Av. 1120. τἀκεῖσε Eccl. 487, quod Faber. coniecit pro κἀκεῖσε. — τἀναντία Ach. 493. Nub. 1040. Av. 1676. Ran. 1450. τἀκβάτανα Ach. 613. τἀγχέλεια Ach. 1041. τἀκ Eqq. 479. Plut. 857. τἄντερα Eqq. 708. τἄπη Nub. 541. Ran. 862, 885. θἄτερα Nub. 1108. τἀμὰ Eqq. 1200. Nub. 1453. Pac. 603. Av. 642. Lys. 894. Thesm. 262. Ran. 1326. Eccl. 393, 746, 922, 1001. τἄρια Eccl. 215. Lys. 734. Ran. 1387. τἄργα Thesm. 804. — τἀνθάδε Pac. 554. τἄνδον Lys. 495. τἀνταυθὶ Ran. 273.

Ad alterum genus, quo coalescunt ἅ neutrum pluralis pronominis relativi et ἐ, hae referendae sunt crases: quibus ἅ coalescit cum augmento: ἅπαθον Ach. 377. ἅπαθε Eqq. 620. ἅλαβεν Nub. 1268. ἅλαβες Vesp. 965. ἁλάμβανε Pac. 1123. ἁδανείσατο Nub. 1270, 1306. ἁδανεισάμην Nub. 1463. ἁγίγνωσκον Thesm. 542. ἅδωκας Ran. 527. ἁβουλεύσαμεν Eccl. 505. ἁξηνεγκάμην Eccl. 513. [ἅδοξε] Eccl. 814 (οὔδοξε cod. Laur. ἅδοξε Brunckius e cod. Par. D.).

3) Vocales ᾰ et ῐ in ᾰῐ diphthongum crasi (quam his locis synaeresim vocant antiqui) coalescunt. Neque tamen saepe tales inveniuntur crases, nam apud Aristophanem duas tantum voces ita crasi coniunctas inveni: θαἰμάτια Vesp. 408. Lys. 1084, 1093. Eccl. 26, 75, 99. θαἰματίδια Lys. 401. Horum exemplorum si sequimur analogiam etiam illum Euripidis locum [1]), quo loco singularem esse elisionem supra iam dictum est: μὰ θ' ἱρὰ κύματ' cet., coniectura in: μὰ θαἱρὰ κύματ', ἰχθύων τε πᾶν γένος mutare licebit.

4) ᾰ et ŏ vocales crasi in ω̄ coalescunt [2]), cuius rei tria inveni apud Aristophanem exempla: τὠνόματα Nub. 395. τὤρνεα Av. 105 (in cod. A., ceteri τὰ ὄρνεα), θὤπλα Av. 449. Lys. 277 (cod. R. ὤχετ' ὅπλα, sed nonnulli praebent θὤπλα.

5) ŏ et ᾰ in ᾱ coalescunt crasi, quam Atticam vocemus necesse est, nam inveniuntur etiam formae crasi in ω̄ coniunctae, quam crasim Doricam esse constat. Utriusque crasis et Atticae et Doricae exempla apud Aristophanem extant, qua de re omnia distinguamus et primum crases Atticas afferamus, quae fiunt praecedente nominativo articuli ὁ et τό.

a) ὁ articulus cum sequenti ᾰ.. coalescit in ᾱ.., qua de re supra iam dixi, cum de vocalibus, quae in crasi leguntur, agerem. Cum vero forma crasis (ἁνήρ) formae vocis sine articulo scriptae simillima sit, factum est, ut fere ubique formae sine spiritu aspero in codicibus legantur, quod testatur Dindorfius in adn. ad Ach. 115. scripta: „ἅνδρες Elmsleius, ἄνδρες et sic ubique ἀνήρ, ἄνθρωπος, neglecta crasi cum articulo, de quo semel monemus" [3]). At non solum in his vocibus, sed in aliis quoque spiritus

[1]) Cyclop. 265.
[2]) Choerob. 382, 34.
[3]) Ellendt. l. c. p. 63 b.

cum incuria mutati sint, fere ubique, ubi tales occurrunt voces ab ᾱ incipientes, videndum num forte crasis lateat. Extant etiam aliae harum crasium significationes ut ῶ littera, qua de re Brunckius egit[1]), qui: Crasis, inquit, vocalium ō ᾱ in ῶ Atticis est solemnis. Sic Nub. 1247 ὦ'παιτῶν (!) pro ὁ ἀπαιτῶν, Vesp. 304 ὦ'ρχων (!) pro ὁ ἄρχων. ὦ'νδρες pro οἱ ἄνδρες passim". Sed de „solemnitate" disceptari potest, nam Nub. 1247 non ὦ'παιτῶν, sed, si Dindorfium auctorem sequimur, ἀπαιτῶν in optimis codicibus R.V., in aliis ὁ'παιτῶν legitur; Vesp. 304 cum Dindorfius nullam adscripserit scripturae discrepantiam, haud scio an ex silentio idem concludere liceat, praesertim cum ad Vesp. 1108, 1441 ad eandem vocem adscripserit in codicibus ἄρχων legi, quod ipse in ἄρχων mutavit. Sunt certe loci, quibus, quod negari nullo modo potest, crasis ita facta extat ut Eccl. 811 ὤ'θρωπος alii, sed hanc crasim ab Atticis non factam esse, si codicibus fides non habenda est, certissimo inscriptionum testimonio probatur, nam C. I. I, 8. *ΗΑΔΕΛΦΟΙ* i. e. ἀδελφοὶ = οἱ ἀδελφοὶ legitur[2]), cui addi poterit praeterea schol. *A*, 636: ἄλλος — ὁ 'Ασκαλωνίτης ψιλοῖ ... τινὲς δὲ βούλονται δασύνειν τὸ ᾱ καὶ ἐκτείνειν ἵν' ᾖ ὁ ἄλλος κτλ., quod quomodo fieri potuerit nisi ō et ᾱ crasi in ᾱ coalescere consueverint equidem nescio[3]). Ergo Attica crasi ō et ᾱ in ᾱ coalescere persuasum habeo, cuius rei exempla nunc afferam: ἀνήρ Ach. 240, 423, 494, 626, 837, 1039, 1178. Eqq. 514, 759, 919. Nub. 1031. Vesp. 207, 269, 347, 650. cet. ἀγὼν Ach. 392. Vesp. 533. Ran. 867. ἄνθρωπος Ach. 576, 836. Vesp. 168, 495. Av. 1448. Ran. 652. Eccl. 811. ἀπαιτῶν Nub. 1247. ἀδελφὸς Nub. 1372. Thesm. 405. ἄνω Vesp. 68. ἄρχων Vesp. 304, 1108, 1441. Av. 1123. ἄναξ Vesp. 820. ἀλετρίβανος Pac. 269, 282. ἀθμονεὺς Pac. 919. 'Απόλλων Av. 585. Ran. 1184. ἄγγελος Av. 1340. 'Αγαθὼν Thesm. 30, 95. ἀρχαῖος ib. 162. ἀναφλύστιος ib. 427. 'Αλκμήνης ib. 531. 'Αχραδούσιος Eccl. 362. ἄνδρων frgt. 54. Quae, etiamsi non omnia scribuntur in codicibus, tamen ita scribenda esse recte coniecerunt viri docti.

b) τὸ articulus cum ᾱ.. sequenti in τᾱ.. coalescit: τἀλλότριον Eqq. 392. τἀρχαῖον Nub. 393. Ran. 720. τἀργύριον Nub. 756, 1247, 1249, 1278, 1283, 1295. Vesp. 607, 795. Lys. 489, 494. Thesm. 1196. Ran. 148, 561, 624. Plut. 131. frgt. 305. τἄγαλμα Nub. 995. τἀδίκημα Vesp. 839. τἀττικόν 252. τἀριστερὸν Pac. 334. τἀντίον Thesm. 822. τἀνάφορον Ran. 8. Eccl. 833. frgt. 472. τἀτταταταῖ Ran. 649. τἀληθὲς Plut. 375.

Deinde veniamus ad crases Doricas enumerandas:

a) ὁ et ᾱ.. dorice in ὠ coniunguntur[4]), cuius crasis apud Aristophanem haec sunt exempla: ὠττικίων Pac. 214. ὤνθρωπος Lys. 989. a Laconibus illic dicta.

b) τὸ et ᾱ.. dorice in τὠ coalescunt his locis: τὠργύριον, Lys. 174, ubi codices praebent τἀργύριον, quod tamen iure correctum est a L. Dindorf. in Thes. III. p. 2646, τὤβυσσον ibidem, quibus item Lacones utuntur crasibus.

---

[1]) Adn. ad Arist. Lys. 277.
[2]) Wecklein. Cur. epigr. p. 49.
[3]) Dawes. Miscell. crit. p. 123. Ellendt. l. c. p. 486, b.
[4]) Gregor. Cor. 190.

6) ŏ et ĭ vocales crasi in ōῦ coalescunt[1]). Coniunguntur ita duae voces ὁ, τό[2]). Ac primum afferam crases articuli ὁ sequenti ἐ . .: οὑπὶ Ach. 504, 510. Nub. 218, 1502. Vesp. 68. Lys. 389. οὑκ Nub. 1065. Vesp. 266, 1267. Av. 13. Ran. 501. οὑμὸς Eqq. 720, 952. Vesp. 336, 1352. Av. 1259. Lys. 838, 1213. Thesm. 867. Plut. 551. οὑχῖνος Vesp. 1486. οὑργάτης Pac. 632. οὑξ Pac. 1047. οὕποψ Av. 226, 265. οὑγκαλυμμὸς Av. 1496. οὑντὸς Lys. 847. οὑκκυκλούμενος Thesm. 96. οὑν Thesm. 1165. οὕνδον Ran. 757. οὑξίων Ran. 946.

Pronomen relativum ὅ coniunctum invenitur cum sequenti ἐ his locis: οὑγὼ Ach. 41. Pac. 64. Lys. 240. Eccl. 341. οὑνδύεται Eccl. 332. [οὕδοξε Eccl. 814. cfr. ἅδοξε].

τὸ articulus cum sequenti ἐ saepissime crasi coniungitur, cuius crasis haec sunt exempla Aristophanea: τοὔργον Ach. 8. Eqq. 787, 1055. Nub. 1416. Pac. 511. Av. 116, 325, 1430. Lys. 375, 1111. Ran. 563, 568. τοὑμὸν Ach. 219, 1185. Eqq. 1231. Nub. 1414. Vesp. 1067. Lys. 285, 375. Thesm. 105, 895, 1058. Eccl. 858, 882, 928. Plut. 991. frgt. 492. τοὔπος Ach. 315, 328. Av. 507. Lys. 1038. Thesm. 412. Ran. 1381, 1387, 1388. — τοὑπὶ Lys. 1026. τοὑπίξηνον Ach. 365. τοὑπιχώριον Nub. 1173. τοὑπιτριβείης Av. 1530. τοὑπιτρῖβον Lys. 1027. τοὑπίπεμπτον frgt. 17. — τοὑκ Av. 813. τοὑξάλειπτρον Ach. 1063. τοὑξημβλώμενον Nub. 139. — τοὑν Vesp. 1374. frgt. 423. τοὐνύπνιον Vesp. 38. τοὔγκυκλον Lys. 113, 1162. Thesm. 499. Eccl. 536. τοὑμποδὼν Lys. 1161. Thesm. 847. — τοὔλαιον Ach. 1128. τοὑλεόν Eqq. 152, 169. τοὔντερον Nub. 160, 168. τοὑρριπτασμένον Lys. 28. θοὐκάτειον Lys. 64. τοὔμπαλιν Lys. 1045. Thesm. 1224. τοὐναντίον Plut. 1047. De θἄτερον voce postea agetur.

7) ŏ — ŏ vocales item in ōῦ coalescunt, qua crasi et ὁ et τὸ articuli formae cum sequenti coniunguntur:

ὁ cum sequenti ŏ crasi coniunctum invenitur his locis: οὑλύμπιος Ach. 530. Nub. 366. οὔρνις Av. 284. οὔπισθεν Av. 300. οὑδυσσεὺς Av. 1561 (quod Bentleius coniecit pro Ὀδυσσεύς) οὑψώνης frgt. 424.

τὸ vero his locis: τοὐπτάνιον Eqq. 1033. Pac. 891. τοὔψον Eqq. 1032, 1106. frgt. 242. 464, 1. τοὑρροπύγιον Nub. 158, 162. Vesp. 1076. τοὑξύθυμον Vesp. 406. τοὔνομα Eqq. 1257. Vesp. 490, 492. Pac. 189. Av. 643, 812 (quod Bentlei. coni., cum codd. R.V. aliique ὄνομ', οὔνομ' unus et Aldina praebeant) 820, 1293, 1305. Thesm. 803, 1201. Ran. 299. frgt. 304. 307, 1. τοὑρνίθιον Av. 662, 667. τοὔστρακον Eccl. 1033. τοὔπισθεν Plut. 1209. τοὐθόνιον frgt. 159.

8 ŏ et ĭ vocales una tantum in voce crasi coniunctae leguntur apud Aristophanem: in θοἰμάτιον Ach. 1139. Nub. 54, 179, 497, 856, 1103, 1498. Av. 500, 791, 1416. Thesm. 214, 568, 1181, 1189. Eccl. 40, 316, 353, 512, 527, 544. Plut. 881.

Tantum de vocalibus brevibus crasi coniunctis; iam sequuntur crases, quibus coalescit vocalis brevis cum sequenti longa, quae tamen crases non ita magno inveniuntur numero, nam quinque tantum sunt genera apud Aristophanem:

[1]) Choerob. 251, 5. Etym. M. 691, 19.

[2]) His ε nonnullis additur πρὸ praepositio. Sed cum in Dindorfii editionetales non scribantur crases nec in codd. legantur (cfr. Av. 1558 cett.), eas enumerare nolui.

1) ŏ et η̄ crasi coalescunt in ῃ.: θῄρῳον Vesp. 819. θῄμισυ[1]) Lys. 116, 132. θῄμέτερον Lys. 137, 592, quo loco Berglerus καὶ θῄμέτερον coniecit (codd. κᾆθ' ἡμέτερον).

2) ă et ᾱυ in ᾱυ: ταὐτὰ Nub. 546, 1328. Vesp. 483 (Berglerus coni.), 621 (Dind. coni.), [885 Dind. addidit]. Av. 24. Lys. 212, 1179, 1235. Ran. 1161, 1250. Eccl. 339.

3) ŏ et ᾱῑ in ᾱῑ: θαἶμα Lys. 205. ταὔτιον Thesm. 549. Ran. 1385, nisi forte, ut ŏ οῑ in ῳ̄ coalescunt, etiam θᾆμα = ΘΑΙΜΑ scribendum est.

4) ŏ et ᾱῡ in ᾱῡ.: ταὐτὸ Nub. 234, 663, 849, 1281. Pac. 972. Plut. 153. ταὐλίον Lys. 721. αὑτὸς Thesm. 906. frgt. 476, 3 (ωυετος cod. Venet. ὡυτός apographa). ταὐτομολεῖν. Plut. 1150. His exemplis si utimur etiam πραὐδᾶν Av. 556 erit legendum pro eo quod codices praebent πρωυδᾶν, nam ῶῡ diphthongus ad Ionicam pertinet dialectum. Crasi etiam ταὐτὸν[2]) addicendum, quod sine coronide scriptum exhibet Dindorfius Eqq. 319. Nub. 1432. Ran. 719. Plut. 253, 1108. frgt. 345.

5) ŏ et ōῑ in ῳ̄.: τῳκίδιον Nub. 92. ᾡκότριψ Thesm. 427.

De crasibus, quae fiunt ubi brevem vocalem longa et ubi longam sequitur brevis, supra iam dictum est copiosius; qua de re nunc addam tantum, quae iure crases vocari mihi videntur:

1) ᾱ ă uno tantum loco crasi coniuncta inveniuntur: ἀρχᾶ Ach. 821, exortum ex articulo dorico ᾱ et ἀρχὰ voce. Neque tamen in codicibus ἀρχά, sed ἀρχὸ legitur, quod iure, ut mihi quidem videtur, in ἀρχὰ mutavit Meinekius.

2) η̄ et ă si crasi coalescunt, alia nulla oriri potest vocalis nisi ᾱ productum; cum vero hae formae formis sine articulo scriptis sint ita similes, ut nullum fere sit discrimen, facile mutantur, qua de re iam antea diximus in enumerandis crasibus, quae fiunt ὁ articulo et ă vocali coalescentibus. Sed, quod illic habebamus et codicum nonnullorum et titulorum testimonium, eo hic uti non licet. Nam in codicibus legitur ἀρχῇ Vesp. 76. ἅνθρωπος Lys. 936. ἀχαρνικῇ Thesm. 563. ἀλεκτρυὼν frgt. 86. Sed si inspexeris locos allatos, recte coniecisse putabis viros illos, qui scribendum esse censuerint ἀρχῇ cet.

3) ᾱ longum et ĕ quibus locis crases faciant et quomodo scribendae sint crases illae antea iam dictum est, nunc locos tantum afferam. Ergo legendum esse censeo: διοσημίᾱστιν Ach. 171, ubi Elmsleius coniecerat διοσημία 'στὶν pro eo, quod in codicibus traditur διοσημί' ἐστί, ὥρᾱστι Ach. 393. Av. 640 (Plutarch. Nici. 8. p. 258. a). Thesm. 1189. αὔτᾱστι Ach. 781. δουλείᾱστι Vesp. 682 (codd. δουλεί' ἐστίν). Θεωρίᾱστι Pac. 878. εὐφημιᾱστω Av. 959. Thesm. 295 (codd. εὐφημί' ἔστω). σκίᾱστι frgt. 564.

4) Crases ex η̄ et ĕ factae: in codicibus servata scriptura traduntur ἡμὴ Nub. 986. Ran. 1040. ἥμπουσα Ran. 305. ἡκκλησία Eccl. 550. ἠκ Plut. 435, quibus exemplis utentes etiam aliis locis, quibus codices crasim non praebent, crasim facere poterimus, ut ἥξοδος Pac. 1181, ubi ἡ' ξοδος scribitur (utraque voce sine accentu scripta) et Lys. 16 ubi Dawesius

---

[1]) Errat Goettlingius, qui in adn. ad Hesiod. Oper. vs. 559. τὤμισυ, inquit, sic recte Jonica et Aeolica contractione; Attica fuisset θὤμισυ.

[2]) Choerob. p. 889.

ἡ ' ξοδος pro codicum lectione ἔξοδος coniecit; ἡπίνοια Vesp. 1073. Pac. 127. Av. 994. quibus locis omnibus scribitur ἡ 'πίνοια; ἡκβάλλουσα Lys. 849. pro codicum scriptura ἡ ' κβάλλουσα. Praeterea etiam ubi pronominis relativi forma ἡ cum voce ab ε incipienti concurrit: ἥφασκεν Thesm. 502 (codd. ἡ ' φασκεν), ἥφερεν Thesm. 512, 1217 (codd. ἡ ' φερεν), ἡξεκένωσεν Ran. 1071 (codd. ἡ ' ξεκένωσεν).

His adiungendi loci ubi ἐστὶν cum voce praecedenti in η desinenti coalescit, ut: μῆστιν Ach. 773, 903. Vesp. 264. Eccl. 418. (codd. μή ' στιν); γυνῆστι Vesp. 520 (codd. γυνή ' στι); τιμῆστι Vesp. 520 (codd. τιμή ' στι), ἤδῆστι Pac. 516, 554, 1058. Av. 1185 (codd. ἤδη ' στί), ποδαπῆστι Lys. 85 (codd. ποδαπή ' στι), χαὔτῆστι Lys. 992 (codd. χαὔτη ' στι), τρίτῆστι Thesm. 80 (codd. τρίτη ' στί), συβίνῆστι Thesm. 1215 (codd. συβίνη ' στί), αὔτῆστι Ran. 182, 1401. Plut. 232 (codd. αὔτη ' στί), ἀνάγκῆσται Ran. 514 (codd. ἀνάγκη ' στίν, Dawes. ἀνάγκη ' σται), φρούδῆστι Eccl. 311, 341 (codd. φρούδη ' στι), μεστῆστι Plut. 806 (codd. μεστή ' στι), πλῆρῆστι Plut. 809 (codd. πλήρη ' στί), [σκάφῆστι frgt. 154 (codd. ἡμισκάφης δ'ὦ κτλ., Bentlei. in ep. ad Hemsterhus. p. 87. σκάφη ' στί)].

5) Crases exortae ex ω et α hae sunt Aristophaneae: ὦνδρες Ach. 53, 56. Eqq. 266 (codd. ἄνδρες), Nub. 1437. Vesp. 240, 245, 270, 340, 950. Pac. 13. Lys. 1043. Plut. 284, 322, 802. Eccl. 229, 285. frgt. 428. ὦνερ Lys. 518. Eccl. 531, 542. ὦναξ Ach. 94. Vesp. 876. Pac. 180, 238, 389. Av. 277. Lys. 296. frgt. 492. ὠχαρνέων Ach. 286 (codd. ὦχαρνέων), ὠχαρνηίδαι Ach. 322 (codd. ὦχαρνηίδαι), ὠχαρνικοὶ Ach. 324. (D. c. codd. (?) ὦχαρνικοί), ὠγαθοὶ Ach. 296, 305. Eqq. 843. Vesp. 415. (D. c. codd. (?) ὠγαθοι), ὠγαθὲ Ach. 943. Eqq. 71, 73, 188, 722. Nub. 675, 726, Vesp. 286, 920, 1145, 1149, 1152. Pac. 469. (Dindorf. coni. ὦ ' γαθέ (!), sic scriptum, quod in codicibus non extat), ibid. 478, 1233. cet. ὠγαθαὶ Lys. 765. (D. c. codd. (?) ὠγαθαί), ὤνθρωπε Ach. 318, 1107, 1108, 1113. Nub. 644. Vesp. 184, 1234. Pac. 719. Ran. 299 cet. (D. c. codd. (?) ὤνθρωπε), ὠνόητε Nub. 868. Vesp. 252. (D. c. codd. (?) ὠνόητε), ὠνόητοι Ran. 734. (D. c. codd. (?) ὠνόητοι), ὠλεξίκακε Nub. 1372. (D. ὠλεξίκακε), ὠναίσχυντε Nub. 1380. Thesm. 638, 744. (D. ὠναίσχυντε), ὠλεκτρυὸν Vesp. 934. (D. ὠλεκτρυόν), ὠλαζὼν Pac. 1069. (D. ὠλαζών), ὠμαθέστατε Pac. 1231. Ran. 933. (ὠμαθέστατε Dind.), ὠχελῷε Lys. 381. (D. ὠχελῶε), ὠδελφὲ Ran. 58, 164. (D. ὠδελφέ), ὠδελφίδιον Ran. 60. (D. ὠδελφίδιον).

6) Crases ex ω et ε factae hae sunt Aristophaneae:

a) ubi prior vox est ὦ vocandi particula: ὠπίτριπτε Ach. 557. Pac. 1236. (D. c. codd. (?) ὠπίτριπτε), ὠκβάτανα Ach. 64. ὠφήμερε Nub. 223. ὠταῖρε Vesp. 1239. ὠρμήδιον Pac. 382. ὠλάφιον Thesm. 1172. ὠμβρόντητε Eccl. 793. (D. codd. ὠκβάτανα cett.).

b) ubi vocem in ω desinentem sequitur vox enclitica ab ε incipiens: πλεῶστιν Lys. 1054. quod coniecit Bergkius pro codicum lectione πόλλ' ἐσῶστιν, nisi forte legendum est cum Brunckio: πόλλ ' ἐσῶστιν, qui versum ita scriptum exhibet: ... πόλλ ' ἔσω ' στίν; κρείττῶστι frgt. 445 a. 3. (codd. κρείττω ' στί).

7) Crases ex ω et ο factae hae apud Aristophanem inveniuntur et scribendae sunt:

a) ubi articulus τὼ praecedit: τὠφθαλμὼ Ach. 1027, 1029. Nub. 362, 411, 946. Vesp. 432. Av. 342, 443. Lys. 1026. τὠφθαλμιδίω Eqq. 909. τὠβολὼ Ran. 270.

b) ubi ὦ praecedit exclamandi particula: ὠβολοστάται Nub. 1153. ὤλεθρε Thesm. 860. Eccl. 934. ὤρνιθες Av. 1118. (D. c. codd. (?) ὠβολοστάται, ὤλεθρε, ὤρνιθες (!), codd. R. Δ. ὄρνιθες, alii ὠρνιθες).

8) De crasibus, quas Dindorfius ex ᾱι et ᾱ factas statuit, supra iam dictum est, nos ex numero illo has tantum crases appellare et scribere ausi sumus: ἀρχαὶ Nub. 1197. pro codd. lect. ἀρχαί, δηξομἆρα Ach. 325. οἰμωξετἆρα Thesm. 248.

9) Item ex ᾱι et ε̄, si crases excipias, quae fiunt ubi prior vox est καὶ particula, de quibus postea agetur, una tantum crasis invenitur: ἆμαὶ Ran. 1049, quod Elmsleius coniecit pro codd. lect. αἰεμαι (R) vel αἰ' μαι.

10) Multo plures occurrunt crases ex ῃ̄ et ᾱ factae apud Aristophanem, quarum prior pars est τῇ articuli forma: τἀγορᾷ Ach. 728, 838, 848, 855. Eqq. 677, 1258, 1378 (quo loco in cod. quidem V. legitur ἐν τἀγορᾷ, in R. ἐν τ' ἀγορᾷ quod tamen iure a Dindorfio propter metrum correctum et in: ἐν ἀγορᾷ mutatum est); τἀφροδίτῃ Ach. 793 (quod Elmsleius scripsit pro codd. lect. τῇ 'Αφροδίτῃ), τἀγαθῇ Nub. 61. τυχἀγαθῇ Av. 436, 675, ubi Dindorfius crasim restituit pro codicum scriptura τύχῃ ἀγαθῇ, τύχῃ' γαθῇ, ἀγαθῇ τύχῃ, quod Thesm. 283 legitur, Eccl. 131 etc.

11) Crases ex ῃ̄ et ε̄ factae hae sunt Aristophaneae: τἠκκλησίᾳ Eqq. 76, 1340. Pac. 667, 931. Lys. 391. Eccl. 135, 191, 249. Plut. 330. τἠλεφαντίνῃ Eqq. 1169. τἠμῇ[1]) Av. 815. θἠκάτῃ Lys. 700. (D. coni. pro τῇ' κάτῃ).

12) Crases ex ῳ̄ et ᾱ factae hae sunt: τἀνθρώπῳ Nub. 512. τἀνδρὶ Lys. 223, 224. Thesm. 499. τἀψήκτῳ Lys. 658. (Cobet. coniecit pro: γ' ἀψήκτῳ).

13) Crases ex ῳ̄ et ε̄ factae duae tantum apud Aristophanem leguntur: τὠμῷ Lys. 223, 224. Eccl. 931 et fortasse αὐτῷστι Av. 273 ubi D. c. codd. RVΓΔ αὐτῷ' στι.

14) Ex ῳ̄ et ο̄ facta una tantum crasis invenitur: τὤχλῳ Ach. 257.

15) Crases ex οῑ et ᾱ exortas has inveni: ἅνδρες Ach. 115. Eqq. 242. Pac. 463, 967. Eccl. 877. frgt. 116, 3. ἀγορανόμοι Ach. 824. (quod Elmsleius coni. pro ἀγορανόμαι), ἅνθρακες Nub. 97. (quod Meinekius coni. pro ἄνθρακες, Dindorf. non recepit), ἀττικωνικοὶ Pac. 215. (Cobet. coni. pro ἀττικωνικοί), ἅνθρωποι Av. 571, 1281. Eccl. 672. — His addendae sunt: τἆρα [2]) Ach. 71, 323. Nub. 1154. Vesp. 217, 299, 1262. cett. μεντἆν Ach. 162, 544, 906. Av. 1692. Ran. 743. Eccl. 650. Plut. 1062. οὐ τἆρα Eqq. 366. Av. 1308, 1358, 1446, 1542. Lys. 20, 32, 435, 439, 443, 447, 887. Ran. 254, 656. Plut. 919. frgt. 506, 533. τἆν Ran. 34. cett.

Dorica etiam huius crasis legitur forma Lys. 1099: τὤνδρες (a muliere Laconica prolata) quod Elmsleius coni. pro ἄνδρες, et Lys. 1260.

---

[1]) Cfr. Etym. M. 757. 24. Choerob. 671, 1. Herodian. Il. Pros. Σ, 456.

[2]) De accentu cfr. etiam Ellandt. Lexic. Sophocl. p. 737. a.

16) Crases ex $\bar{\omega}$ et $\breve{\epsilon}$ factae apud Aristophanem hae leguntur: οὑμοὶ Eqq. 967, 1003. Nub. 210. Ran. 967. οὑκτὸς Vesp. 1287. (D. coni. pro οἱ᾽κτός), οὑπιχώριοι Ran. 461.

His sunt addendae crases, quarum vox prior est μοί, vel τοί, σοὶ sequente ἐστίν: σοὖστι Ach. 339. Vesp. 480. Pac. 127. Thesm. 124. τοὖστι Vesp. 27 (D. ποῦ᾽ στι), καίτοὖστι Vesp. 600. μοὖστι Eqq. 1000. Pac. 334 (codd. μ᾽ ἐστι), Ran. 1186, 1399. Eccl. 785, 1006. Plut. 828. frgt. 78; praeterea, ubi μοί τοί σοὶ coalescit cum sequenti verbo: σοὐκτεμῶ Eqq. 374. σοὐκλέγων Eqq. 908. σοὔδωκεν Eqq. 1177. σοὐς Vesp. 474 (codd. σοι), μοὐδόκει Eqq. 1090, 1092. Vesp. 34 [1]). μοὐγκώμιον Nub. 1205. μοὔχρησεν Vesp. 159. μοὐταῖρος Eccl. 913. μοὐξέκοψε Ran. 547. μοὐξέπιπτεν frgt. 509 (Becker. μου ἐξέπιπτεν); μεντοὐγὼ Ran. 971. et μεντοὔφασκεν Eccl. 410. inter crases non refero propter ea, quae Ahrensius l. c. p. 5. his de crasibus scripsit.

17) Ex $\bar{\omega}$ et $\breve{o}$ facta una tantum crasis invenitur: ὠτοτοτύξιοι Av. 1043.

18) Crases ex $\bar{ov}$ et $\breve{\alpha}$ factae hae sunt: τἀδελφοῦ Nub. 536. τἀργυρίου Nub. 1289. Lys. 422. τἀνδρὸς Vesp. 347, 933. Thesm. 803, 813. Eccl. 48. τἀττικοῦ Pac. 254. τἀπόλλωνος Av. 982.

19) Crases ex $\bar{ov}$ et $\breve{\epsilon}$ factae hae sunt apud Aristophanem:

a) articuli forma τοῦ cum voce ab $\breve{\epsilon}$ incipienti coalescit: τοὐλατῆρος Ach. 246. τοὐλαίου Vesp. 252. τοὐμοῦ Vesp. 271, 874, 1002. Pac. 170. Thesm. 574, 755. τοὐνιαυτοῦ Vesp. 661 (Bentl. pro ἐνιαυτοῦ), frgt. 476, 7. τοὐρεβίνθου Pac. 1136. Ran. 545. τοὐπιστάτου Av. 437. τοὐπιορκοῦντος Av. 1612.

b) ubi ἐστὶν vox enclitica coalescit cum voce praecedenti in $\bar{ov}$ desinenti: ποὖστι Ach. 192, 1224. Eqq. 1322. Nub. 214, 1247. Vesp. 147, 203, 935, 995. Av. 334. Eccl. 333, 734. Plut. 393, 864. frgt. 187, 1 (codd. ποῦ᾽ στι). ποὖστι Pac. 1047 (codd. πού᾽ στι), ὁποὖστι Nub. 214. Eccl. 1126. αὐτοὖστι Vesp. 1165. δήποὖστι Pac. 145. Av. 179. Eccl. 661. ὁμοὖστι Pac. 514. Κλεωνύμοὖστι Pac. 1295. ἑκατέροὖστι Thesm. 11. στοίχοὖστι Eccl. 756.

20) Crases ex $\bar{ov}$ et $\breve{o}$ coalescentes hae sunt: τοὐβολοῦ Eqq. 662, 945. τοὐνόματος Nub. 62. τοὐλυμπίου Av. 130. τοὐρνιθίου Av. 223.

21) Crasis praeterea ex τοῦ et $\breve{v}$ facta extat θοὔδατος Lys. 371, de qua supra iam dictum est a nobis.

Has inveni crases quibus coalescit vocalis longa vel diphthongus cum sequenti vocali brevi. Restat iam, ut ea afferam exempla, quibus coalescunt duae vocales longae vel diphthongi, quas propter exiguum earum numerum non discernam, sed statim afferam: θἠμέρᾳ. Av. 1071. Thesm. 76. ἐγᾦδα Ach. 5, 118, 904. Eqq. 469, 873. Vesp. 1181, 1205. Thesm. 502, 850. Ran. 836. Eccl. 797. ἐγᾦμαι Thesm. 442. ταὐτοῦ Eqq. 1289. Eccl. 591. frgt. 491. et uno loco forma dorica τωὐτῶ, quam Brunckius restituit pro codicum lectione τωὐτοῦ Ach. 790, quae Megaricam exhibet formam. θἠμετέρου Vesp. 526. τοὐρανοῦ Pac. 199, 822, 847. Lys. 651. ταὐτῷ Vesp. 969. Av. 170, 968. Thesm. 1060. Ran. 1103. ἐκῷδὲν Thesm. 1197. scythice pronuntiatum = ἔχω οὐδέν.

---

[1]) Ad hunc locum adscriptum est scholion: μοὐδόκει. τὸ πλῆρες μοι ἐδόκει. καὶ ἔκθλιψις καὶ κρᾶσις, quo tales fieri crases ostenditur.

Restant praetera voces nonnullae, quas crasi esse exortas dicunt, quas deinde afferam; nunc ad eas crases enumerandas venio, quae fiunt particula *καὶ* cum sequenti voce coalescente, quarum permagnus est numerus. Sed cum earum crasium partem J. F. Lobeckius [1]) iam tractavit, ea quidem, ubi *καὶ* particula coalescit cum vocalibus brevibus, quae ille non tractavit exempla Aristophanea huc afferam. Sed priusquam locos describam, paullulum de vocalibus erit disserendum, quam rem supra iam attigi, cum de vocalibus quae crasi fiunt agerem. *καὶ* particula eodem modo coalescit, quo aliae voces in diphthongum exeuntes, de quibus supra iam egi, summisso *ῑ* littera:

καὶ ο̄..	*καο..*	*κ$^{\alpha}$ο..*	*κ'ο̄..*	*κὠ..*
καὶ ῡ..	*καυ..*	*κ$^{\alpha}$υ..*	*κ'ῡ..*	*κῠ̓..*

et quod de vocalibus brevibus, idem valet de longis, nam ex *καὶ αὐ.. καὶ ἠ.. καὶ οὐ.. καὶ ὠ..* fit *καὐ.. κἠ.. κοὐ.. κὠ...* Horum exemplorum si sequeremur analogiam, e *καὶ αἰ.. καὶ εἰ.. καὶ εὐ.. καὶ οἰ..* exspectandum esset fieri: *κᾀ.. κᾐ.. κηὐ.. κῷ̓..* ut minima pars *ᾱ* vocalis ad producendam sequentem vocalem valuerit:

καὶ αἰ..	*κα αἰ..*	*κ$^{\alpha}$αι..*	*κ'ᾱι..*	*κᾀ..*
καὶ οἰ..	*κα οἰ..*	*κ$^{\alpha}$υι..*	*κ'ο̄ι..*	*κῷ̓..*
καὶ εἰ..	*κα εἰ..*	*κ$^{\alpha}$εἰ..*	*κ'ε̄ι..*	*κᾐ..*
καὶ εὐ..	*κα εὐ..*	*κ$^{\alpha}$εὐ..*	*κ'ε̄υ..*	*κῄυ...*

Sed non ita res se habet; nam eodem modo, quo coalescit *καὶ αἰ..* in *κᾀ..*, exspectatur ut coalescat *καὶ εἰ* in *κᾐ* etc., at inveniuntur loci quibus *καὶ εἰ..* in *κεἰ..*, *καὶ οἰ..* in *κοἰ..*, *καὶ εὐ..* in *κεὐ* coalescunt, quod etiam Lobeckius observavit, qui propterea crasim ab elisione profectam et crasim contractione ortam secernendam putat. Ad priorem igitur *κεἰ.. κοἰ.. κεὐ.. καἰ..* pertinerent, ad alteram *κᾀ.. κῷ̓..*, cuius crasis tria extant exempla in editione Dindorfiana *κᾀσχροισι* Nub. 1374. *κᾠκίαν* Thesm. 349. *κῷ̓νον* Ran. 511. quorum unum tantum constat *κῷνον*, nam *κῳκίαν* Brunckius coniecit, cum codd. praebeant *κοἰκίαν*, *κᾀσχροισι* Meinekius pro codd. lect. *καἰσχροισι*. His addendum est *κᾀτα*, quod illic etiam diphthongi aliquid remansit. Opponuntur vero gravioris vel potius artioris coniunctionis exempla, ubi ne minima quidem diphthongi pars relicta est, ut *κεἰ..* et *χοἰ..* qua de re conferas Curt. stud. I, 2, 279.

Loci verbaque, quibus *καὶ* cum sequentibus longis vocalibus coniungitur, haec sunt:

1) *καὶ* et *αἰ..* coalescunt: *καἰ* Lys. 1105 (quod Ahr. de diall. II. p. 348 coniecit pro codd. lect. *κἂν*), *χαἰ* Lys. 47 (Reisig. coni. pro codd. lect. *καὶ*), *κᾀσχροις* Nub. 1374. (Meinekius coni., codd. *καἰσχροις*).

2) *καὶ* et *ᾱυ*: *καὐτὸς* Vesp. 556, 680, 820, 1360, 1531. Pac. 75, 235, 569, 961. Thesm. 920. Ran. 598, 755. Plut. 1141, 1186. *καὐτοῦ* Vesp. 6. *καὐτῇ* Thesm. 443, 469, 1061. Eccl. 123. *καὐτὸν* Thesm. 1117. Ran. 1046. *καὐταῖς* Ach. 510, 736, 1189. *χαὔτη* Av. 992, 1088. *χαὐτηὶ* Av. 302. *χαὖται* Ach. 192. Eccl. 503. *καὖθις* Pac. 219. Av. 106. Ran. 306. *καὐχένας* Pac. 1282. Praeterea a Dindorfio scribitur pro codicum

---

[1]) De synaloephe etc. — Regimontii Prussorum a. 1839.

αἱ δ' αὖθ' ἕτεραι — χαὐθάτεραι Lys. 66, quod necessarium non puto, nam fortasse locus ita erit restituendus:

ἀτὰρ αἵδε καὶ δή σοι προσέρχονταί τινες
αἳ δ' αὖ 'τεραι χωροῦσί τινες. ἰοῦ, ἰοῦ.

3) καὶ et εἰ.. : κεἰ Ach. 520. Eqq. 770. Nub. 296, 454, 965, 1152, 1492. Vesp. 419, 612, 1333. Pac. 176. κεἴπερ Ach. 923. κᾆτα Ach. 29, 84, 486, 526, 687, 689, 700, 1159, 1162, 1197. Eqq. 357. Nub. 151, 348, 409, 620, 744, 752, 941, 1068, 1076, 1292, 1365 cett.

4) καὶ et εὐ.. : κεὐρυπρωκτίαν Vesp. 1070. κεὐφραίνομαι Pac. 291. κεὐδαίμονα Av. 37, 1742 [κεὐδαίμονος Dawes. coni.], κεὐριπίδου Ran. 758. κεὐθὺς Eccl. 826 (codd. καὐθὺς — Kusterus coniecit).

5) καὶ et ἡ.. : χἠ Pac. 939, 1077. Lys. 48, 551. Ran. 518, 672, 950. Eccl. 543. χἤτις Thesm. 522. χἠμεῖς Vesp. 574. Av. 1076. Lys. 358, 529, 540, 686, 1102, 1221. χἠμῶν Eccl. 495. χἠμῖν Lys. 167. frgt. 154 (codd. καί), κἠντιβόλουν frgt. 460, 2.

6) καὶ et οἰ.. : χοἰ Eqq. 665. Nub. 1210. Lys. 388, 490. Ran. 698. χοἶον Nub. 208. κᾡκίαν Thesm. 349. (Brunck. coni. pro codd. lect. κοικίαν), κᾦνον [1]) Ran. 511. De χἄνδρες supra iam dixi.

7) καὶ et οὐ.. : κοὐ Eqq. 398. Eccl. 342. κοὐκ Ach. 116, 230, 468, 538, 662, 1039. Eqq. 879, 997, 998. Nub. 530, 550, 1307. Av. 52 cett. κοὐδεὶς Vesp. 358. κοὐδεμία Thesm. 472. κοὐδὲν Ach. 561. Vesp. 637, 741, 1381. Pac. 949. Plut. 274. κοὔπω Ach. 505. Vesp. 662. Thesm. 109. κοὐδέπω Eqq. 168. κοὐδέποτε Vesp. 969. Lys. 223, 224. κοὐχὶ Nub. 344. Av. 571. Lys. 227, 228, 704. Eccl. 217. frgt. 96. κοὐδὲ Av. 531. κοὐκέτι Pac. 173, 350. χοὖτος Eqq. 540. Av. 275, 281, 1616. χοὔτω Eqq. 1131. Pac. 1022. χοὐτοσὶ Av. 649.

8) καὶ et ὠ.. : χὤσπερ Nub. 389. κᾠδύνη Thesm. 484.

Iam reliquum est, ut duas afferam voces, quae crasi ortae esse videntur:

1) θἄτερον ex articulo τὸ et ἄτερον, dorica vocis ἕτερον forma, ortum esse contendit Herodianus [2]) quocum consentit Apollonius [3]). Sed cum vix probabile videatur doricam formam in his statui, cum extet usitatissima forma attica ἕτερος, sententiam illam, quam ab omni dubitatione liberare studuit Kuehnerus [4]), non amplectar. Res ita potius se habet: antiquam fuisse huius vocis formam ἄτερος, quae in Solonis carminibus traditur, indeque cum factae sint crases illae, pristinam formam his ipsis servatam esse, nec doricam solum eam esse, sed omnino antiquam.

Crases Aristophaneae huc pertinentes hae sunt: θἄτερα Nub. 1108. ἄτερος Vesp. 138, 841. θἄτερον Ran. 294. θἀτέρου Av. 109. Ran. 301. ἀτέρα Lys. 85, 90. (codd. ἥτερα), θἀτέρᾳ Ach. 789. Av. 1365. (codd. θἠτέρᾳ) θἀτέρῳ Vesp. 497. Eccl. 498., quae vix crasis signo, coronide, erunt scribendae, sed θάτερον, θατέρου [5]) cett.

---

[1]) Cfr. hac de voce Etym. M. p. 551, 27.
[2]) Edit. Lentz. II. 344, 9.
[3]) A. B. p. 495, 16.
[4]) Gr. gr. I. p. 176. adn. 2.
[5]) Cfr. Mehlhorn. gr. gr. p. 100. a. 4.

phaneos, quibus ὤταν occurrit, huc afferre nolui, quoniam illis nihil omnino probatur. —

Index.

Pars I. De crasi eiusque origine cett. .... pag. 3—22
a) De crasis nomine et generibus .... „ 3—12
b) De crasis origine .... „ 12—14
c) De coronide .... „ 14—15
d) De spiritu .... „ 15—16
e) De vocalium mutatione .... „ 16—21
f) De accentu .... „ 21—22
Pars II. Enumerantur crases Aristophaneae .... „ 22—32

Vita.

Natus sum Guilielmus Hermannus Waeschke Gross-Paschlebiae Anhaltinorum a. d. XII Cal. Iun. anni h. s. quinquagesimi patre Carolo, qui in coctura sacchari Paschlebiensi coquendo praeerat, matre Ludovica e gente Bankewitziana. Fidei addictus evangelicae ludum litterarium illic frequentavi. Patrem praematura morte ante hos undeviginti annos abreptum deploro. Annos XV natus in gymnasium Cotheniense receptus sum, ubi usque ad annum h. s. LXXI mansi, quo anno Lipsiam me contuli, ut studiis philologicis me dederem. Scholas adii virorum illustrissimorum: Brockhausii, G. Curtii, Ecksteinii, Hildebrandii, Hirzelii, Kuhnii, Langii, Merkelii, Ritschelii, Schusteri, Seydelii, Tischendorfii, Voigtii, Zarnckii.

Per tria spatia semestria seminarii philol. reg. sodalis ordinarius fui. Omnibus autem magistris meis propter eximia eorum de me merita hac data opportunitate gratias ago quam maximas.

Ex typographio aulico H. Heybruchii Dessaviensis.